6
9-b
38

6
8 D
9

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

ROLANDI PETREII IVRECONSVLTI IN M. T. CICERONIS ORATIONEM PRO P. SEXTIO COMMENTARIVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad Iacobum Auberium uirum Prætorium Regis Galliæ Oratorem ac Legatum.

6 16 8 11

LVTETIAE,
Apud Michaëlem Vaſcoſanum, uia Iacobæa ad inſigne Fontis.

M. D. LV.

EX PRIVILEGIO REGIS.

IACOBO AVBERIO VIRO
Prætorio Regis Galliæ Oratori ac Legato Rolandus Petreius, S.

BIBLIOTECA NA. ROMA VITTORIO EMANUELE

EA *ſemper fuit uitæ inſtituendæ ratio, ampliſsime & doctiſsime Auberi, ut cum antiquiſsima nobiliſsimaq;* Iu*riſprudẽtiæ tractatione,* Philoſophiæ*, ac humanioris diſciplinæ ſtudia coniungerẽ: in eoq; mihi ſummè placerẽ, cuius beneficio auxilij aliquid me & ad dicẽdum, & ad iudicandũ conſecutum eſſe putarem. Quòd à* Philoſophia *illud certè habeamus, ut naturã cuiuſq; rei cernamus, eã definiendo explicemus, ac in partes diſtribuamus, tum de re uniuerſa facilè iudicemus: ab humanarum uerò artium quodam ueluti cõtubernio, ut non minus grauiter, quàm expeditè ornateq; dicamus.* Ac *ut cum bona uenia uulgarium interpretum* Iuris Ciuilis *liberè quod ſentiam eloquar, nihil unquam, aut præclarius, aut fœlicius duxi, aut ad docendum accommodatius, quàm ea ſibi parare, quibus & animi iudicium excitetur excolaturque, & doctrinæ ciuilis ſumma cum aſsiduitate exercitationis coniunctæ ars propriè &* Latinè *exprimatur, ne ſi barbara, ac monſtroſa uerba ſint, fœditatem: ſi impropria, obſcuritatem: ſi malè contexta, confuſionem adferant, & iudicij nihil in dictis, aut ſcriptis noſtris eluceat.* Et *ſanè eorum quibus noſtrum iſtud iudicium placet, hæc ferè eſt ſententia, ne attingenda quidem eſſe illorum ſcripta, quos inconſulta temeritate iudicandi leges à* Philoſophia *de-*

ſcriptas ſuſtuliſſe, ac in eo ſummam laudem poſuiſſe uideas, ſi nihil intelligenter explanarent, ſed potius, ut eſt cõſuetudo hominum literis & otio abutentiũ, eam quam nos profitemur ueram Philoſophiam, ut ait noſter Vlpianus, horrendo illo ac tenebroſo columnariæ commentationis Chao, & noua ſua (ſi Diis placet) Philoſophia, hoc eſt, ineptè loquaci amentis animi deliratione obſcurarent, & in plana celebrique uia, neſcio quæ diuerticula puerilium & argutularũ oppoſitionum & ad eaſdem inaniũ ſolutionum flexuoſas ambages in docẽdo interpretandoq́; iure Ciuili quærerent: & (quod placet minus) arido loquẽdi genere, etiã cùm uerborum nulla inopia cogerentur, hiſtoriarũ contemptu, antiquitatum ignorantia, ieiunam ac ineruditam Iuriſprudentiã effingerent, aliter multo quàm ex Iurecõſultorum libris ac reſponſis didiciſſent: à quibus ſi nõ immoderata licẽtia degeneraſſẽt, ſi quam illi tenuêre uiam ac rationem tractandarum artium retinere uoluiſſent, ſi ea quæ acceperant, ſimpliciter, purè, populariter, & ad ciuilem uſum aptè congruenterque docere in animum induxiſſent, ac non occultandæ ignorantiæ ſuæ cauſa ſuis ſe tenebris quaſi inuoluere, quarum obſcuritate imperitos in admirationem raperent, doctos & ingenioſos à reprehendendo deterrerent, feciſſent meo quidem iudicio, quod & conſultos & uere prudentes homines tui ſimiles, Fran. Connanum, Michaëlem Hoſpitalem, Aemilium Ranconnetum, Baronem, Duarenum poſtea feciſſe uidemus, ut ſolidam ac expreſſam, non adumbratam germanæ Iuriſprudentiæ imaginem repræſentarent: ac iuuentuti melius ante annos 30. Reipub. item ac Tribunalibus

libus

libus Gallicis *melius profecto conſultum fuiſſet.* Enimuero *iuuentus* Gallica, *fœcundiſsimum ſeminarium pubis ac ingenuitatis politicæ, ad ſapientiæ ſtudium magis, quàm litigandi cauillandíque edocta, in turbulentæ commentationis ſomniis non hæſiſſet, fontes ipſos adire, quàm riuulos & lacunas minus puras conſectari maluiſſet, ac noſtrorum* Tribunaliū *ea fuiſſet dignitas, is deniq; ſplendor, ut cum* Harpyarum *forenſium calumniis, fraudibus, inaniſsimis cautionibus & formulis, quibus conſpurcata eſt, ac conſtuprata iuris* Ciuilis *maieſtas, nihil omnino eſſet reliqui: in iis demum* Romana Iuriſprudentia, *id eſt, ea quæ à* Philoſophiæ *præceptis, & elegantioribus literis non abhorreret, uel diſſerendi ſubtilitate, uel dicendi elegantia & proprietate, uel rerum delectu & ordine, ſuo quaſi iure regnaret, & ſtrophas omnes antiſtrophasque forenſes, quibus tantopere delectantur ambitioſa ingenia, tolleret magis, quàm tot litium anfractus & actiones, quæ* Galliam *præſertim noſtram multos annos miſerabiliter afflixerunt, conſtitueret.* Atque *is quidem fuit noſtri* Papiniani *ſenſus, quem ſcimus religioſe pietatis officio functos fuiſſe, fratres iudicaſſe, qui arbitro, quem acceperant, relicto, ſpontanea tranſactione inter ſeſe domi diuiſerant communem hæreditatem.* Cæterū *illud ſine cuiuſquam inuidia, aut reprehenſione auſim dicere, neminem paulò ſaniorem eruditioremque hoc tempore eſſe, cui inceptum illud ſcholaſticorum doctorum aliud ſcilicet ex alio miſcentium ac remiſcentium probari poſsit, ut ſpretis ueterum prudentum literis, id præcipiti quadam celeritate, & contorto animi iudicio ſequamur, quod paucis &*

illis quidem uulgariter eruditis hominibus placuerit: qui ab ea quam initio diximus, cæterarum artium cum Iuriſ-*prudentia coniunctione, ab* Alciato *primùm ſatis fœliciter tentata, ab* Eguinario Barone *ſtudioſiſsimè retenta, à* Connano, Duareno, Aemilio Ferreto *prudentiſsimè exculta confirmatáque, uel deflexerunt, uel, quod propius uero eſt, ſe ſuáſque cogitationes abduxerunt.* Illud *uerò cùm turpe noſtris hominibus fuerit* Pedariorum Senato-*rum more, in eorum ſententiam impetu quodam mentis & uoluntate concurrere, tum maximè*

Hoc I*tacus uelit, & magno mercentur* Atridæ.

hoc eſt, homines indoctiſsimi & infantiſsimi, quibuſcũ diu nobis ἄσπονδος πόλεμος *fuit, quiq́; omnia ſuperſtitioſe admirari norũt magis, quàm puram germanamq́;* Iuriſprudẽ-*tiam profiteri, ac uerboſis faſtidioſisq́; cõmẽtis quiduis permiſcere, quàm præclara ingenij prudentum* Romanorum *monumenta, ad ſempiternam hominũ memoriam, tuendamque humani generis communitatem literis conſignata, ſumma religione, fide, ſtudio, ac diligentia colere, eademque iuuentuti apertiſsimè, ac planiſsimè explicare.*

F*urórne cæcus, an rapit uis acrior?*
A*n culpa? reſponſum date.*
T*acent, & ora pallor albus inficit,*
M*entéſque perculſæ ſtupent.*

Sed quid plura? inuiti quidem fecimus, ut de ſcholaſticorum interpretum ſcriptis, ac uitioſo more diceremus, atque illud maximè in cauſa fuit, quòd cum contractioribus, quibuſdam noctibus in Platonem, Ariſtotelem, Ciceronem *aliquid meditaremur, eo demque pulueris illius*

lius ac exercitationis noſtræ forenſis, unà cum Papiniano, Vlp. Paulo, Modeſtino auctores eſſe uellemus, id plerique eorum qui ſimplici, & improuida credulitate tot interpretum, opinioſiſſimorum ſanè hominum, dictata ſequuntur, reprehenderent factum, & nos parum ex animo noſtram Spartam (ut aiunt) tueri dicerent, quòd expulſam anteà deiectamque ſermonis puritatem, ac Sapientiæ ſtudium, uelut interdicto quodam in ueterem poſſeſſionem, cum bonis omnibus miniſterio Reip. deſtinatis, reſtituere cogitaremus, & in dicendo agendiſque cauſis, non, ut illi, delicias ocioſæ ſubtilitatis, & allegationis ultramontanicæ, aut cis-montanicæ latebras, ſed Papinianum, unà cum Platone citaremus, ac Ciceronem omnium qui unquam extitêre cauſidicorum principem, aut explicandæ ſententiæ cauſa, aut orationis explendæ ornandæq; familiarem nobis haberemus. His ita, ni fallor, reſponderi oportuit, qui hanc noſtram ſucciſiui tempuſculi operam improbarent, quique nos (ut erant) in Iureconſultorum ſubſelliis inſigniter σπερμολόγους, ac impudentes eſſe uellēt, quòd dicerent, certiſſimum illud eſſe captandi lucri aucupium. De cæteris autem rebus (bonas quaſque artes, credo, intelligebant) non eſſe quòd ſolliciti admodum eſſe deberemus, quippe ad rem ex aliorum incommodis, & iurgiis augendam facerent nihil. Sed ita me Deus amet, nihil eſt, quod magis in uotis habeam quàm tuo, hoc eſt, bonorum omnium ac uere politicorum Heroum exemplo, doctrinæ ſcilicet, ac uirtutis cōmendatione creſcere, & Spartam meam qualicunque induſtria, & bonarum artium colligatione, uelut ἰώσα, quàm ornatiſſimam ac florentiſ-

ſimam reddere. Neque enim Stoicus ἀπαθὴς ſum, qui decus forenſis togæ, ac lucem quandam fori non ſuſpirem, ingenua ambitione nõ ardeam, uel quanuis honeſtam coaceruandæ pecuniæ rationem mihi oblatam, negligendam putem: Sed moleſtum illud eſt, ac certè uix ferendum, ſpreta Iurecõſultorum auctoritate, à circunforaneis quibuſdam inſtitoribus regnum illud iudiciale obtineri, quorum furioſa πλεονεξία quondam populare, ac plauſibile patroni nomen, inuidioſum factum ſit: ut non iam in eo regno de ornando munere functionéque, quam paulò antè Spartam diximus, ingenuus quiſquam liberaliſq; ingenij homo cogitet, ſed repudiata honeſtiſſimæ cuiuſque artis ac diſciplinæ conſuetudine, ne alioqui ſpe forenſis lucri deſtituatur, ad inanem arrogantiam, effrenatam garrulitatem, litigandi peruerſam rationem ſe ſuáque ſtudia conuertat, eóque colligendæ pecuniæ artificio captus, non ſanctiſſimam æqui & boni artem, quam anteà ſtudioſe profitebatur, exerceat, ſed ſordidam artem litigandi, tam impudenter excolat, quàm diligenter uniuerſam honeſtatis politicæ rationem in conuentu ſcholaſtico tractarat. At ne diutius liberali applauſu, ac fauore deſtituta iuuentus, ſtudiis ciuilibus deuota, animis concidat, ingratóque ſuorum ſtudiorum contemptu perculſa iaceat, in hac triſtium temporũ cõuerſione inclinationeq; uoluit DOMINVS doctiſſimos, ac lectiſſimos quoſque homines ab Henrico inuictiſſimo Galliarum Rege ad Rempub. uocari, qui poſt tot infœlicium ſtudiorum ærumnas, tanquam ſigno quodam ſublato ad bene ſperãdum de Iuriſprudentia, id tandem libenter & cupide præſtent, ut probatiſſimo ac con-

ſultiſſimo

ſultiſimo cuique in tribunalibus locus ſit, & ueteratorũ ac uanitatis amentia in foro concertãtium natio, ipſorum Tribunalium *& ſcholarum omnium poſſeſsione cedat. Eo te potiſsimum eſſe in numero politicorum* Heroum *de reſtituenda ueteri* Iuriſprudentia, *conſultantium, omnes intelligunt, qui te multorum efflagitationibus in ampliſsimo* Senatu Pariſienſi *cauſas diuinè perorantem audierũt, & quorum animis non excidit (ut nec excidere unquam poteſt) etiam exterarum nationum linguis ac ſermone celebrata, tua pro miſeris* Prouincialibus *oratio,* Patrum Conſcript. *qui tum multi ex uariis illius ordinis claſsibus aderant, calculo mirificè comprobata, ac populi eloquentiæ tuæ grauitate permoti, ſummo ardore conſentientium animorum excepta.* Atque *ut omittam, quale fuerit* Regis Chriſtianiſs. *de tua ſingulari eruditione ac prudentia iudicium, & quanti is te faciat, ſempérque unà cum* Auguſta Catharina *fecerit, ſatis magno argumento illud eſſe debet, quòd uel unus ex omnibus ad obeundam ſummæ dignationis ac auctoritatis legationem apud* Anglum, *ex* Prætura Pariſienſi, *cui ſumma cum laude praes, uel acceſitus, uel euocatus fueris, ut is, qui ſeria omnia, & ad rerum ſummam pertinentia in tanto* Reip. *motu non minus acri iudicio, quàm fideliter religioſéque pertractare longo uſu didiciſſet, & in quo omnes illæ artes prælucerẽt, quæ ad tanti muneris functionem neceſſariæ uiderentur: omnibus grata humanitas, ſpectata morum integritas, callido uerſutóque iuri inimica grauitas, ſingularis & propè incredibilis doctrina, ac non iucunda ſolum, ſed & admirabilis eloquentia. Quibus animi dotibus, & ipſe alle-*

ctus, libens feci, ut ex tuo nomine meis ſcriptis commendationem quærerem, & meorum ſtudiorum patronum te defenſorémque deligerem: quòd neque patrocinium fælicius quàm tuum, neque uirum digniorem, id eſt, ſcientiæ ciuilis amantiorem neminem agnoſcerem, cui has induſtriæ noſtræ, & omnium ingenuarum ac humanarum artium cum Iuriſprudentia coniunctionis, primitias offerrem. Atque hoc quicquid eſt interpretationis in Sextianam à me profectum, à nemine unquam antea tentatum propter locos plus mille deprauatos, miſeréque contaminatos, à nobis ſi non ingenio & arte, ſaltem labore & diligentia reſtitutos, tibi ſi probetur, ſi, quòd ſperamus, non ingratum tibi ſit, facies tu quidem, ut qualia ſint cæterorum de ſcriptis noſtris futura iudicia minimè reformidem, atque etiam fidenter ſperare audeam, me à quouis æquiſſimo arbitratore, tua auctoritate permoto, non peſsimam habitum iri mihi gratiam. Quòd ſi in hac noſtra in Ciceronem commentatione, quid occurrat quod tibi ac eruditis omnibus non faciat ſatis interdum, ut in tanto opere credibile eſt quædam mihi humanitus excidiſſe, aut nonnulla me minus acute uidiſſe, eo me ſolabor, quòd te auctore me mea errata peruidere ac mihi emendare liceat: erit autem humanitatis tuæ hominis tibi addicti ſtudio, ignoſcere. Editionis uerò cauſa fuit, publica ſtudiorum utilitas, quæ hactenus elegãti ac propè diuina hac defenſione Sextiana caruerunt, quòd nondum in eam cuiuſquam commentarius extaret, ac ne litera quidem ulla, credo, propter rerum difficultatem, hiſtoriarum uarietatem, uel innumerabilium penè locorum deprauationem. Quantum

ipſe

ipſe profecerim, hoc primùm in eam edito interpretationis genere, cæterorum ſit ab ipſa experientia & locorum, qua uſi ſumus, collatione, iudicium, quando de me ipſe ſine arrogantiæ ſpecie magnificentius ſpõdere non auſim. Ac ut liberè apud te animi mei ſenſum deponam, certè labori meo ſtatuam bene eſſe, ſi tuum ſuffragium abſq; ulla exceptione tulerit. Id *ut facias, rogo, & me planè bearis, & hominem gratiſſimum tibi deuinxeris. Deus te nobis ac* Reipub. *ſaluum diu & incolumem ſeruet.* Vale. Meldis, Calend. Iunij.

M. D. LV.

C. R. DE ROLANDI PETREII Meldenſis Iureconſulti ad Sextianam Commentariis.

Exul ut eſt Cicero*, ſumptis ſic* Sextius *armis*
Dimicat, ut patriis reſtituatur agris.
Sextius ut reus eſt, Cicero *ſic detonat ore,*
Vt famæ uiuat redditus ipſe ſuæ:
Exulis obſcura, ut Ciceronis cauſa, reiq́ue
Iudicium, reus ac exul uterque iacet.
Sic cauſam, ſic iudicium Petreius *ornat,*
Vt ſcriptis nobis reddat utrunque ſuis.
Alter in alterius ſtudio olim uixit, at uno
Nunc in Petreio *uiuit utrunque magis.*

G. L. S. AD ROLANDVM *Petreium Meldenſem Iureconſultum Ode.*

Sæua Tribunus *tollere Sextium*
Tentarat olim cuſpide, uulnere
Conſtans frequenti fœdus ora
Cum medio iacuit Senatu.
Obliuioſô liuida mergere
Fortuna nomen gurgitę cœperat,
Dum Sextianam orationem,
Qua celebris uolitat per orbem
Mendis ſcatentem obtrudit, ut acrium

Dextras

Dextras uirorum ſæpe refugerit
Non trita: ſed fruſtra rigentes
In miſerum gladios Tribunus
Strinxit: ferocis tela minantia
(Vibrata ſacrum nominis in caput)
Diuæ antè formidata, fortis
Aegide fracta iacent Mineruæ.
In ſæuientem protulit ægida,
Et reſtitutum ſic ſibi Sextium
Petreius offert, ſeculis ut
Innumerabilibus furorem
Libidinoſi, tela nec horreat
Iniurioſi numinis: integro
Verùm redonatus libello
Vſque terat peragretque terras.

MALE INTERPVNCTAS ORATIONES & errata, quæ inter excudendum irrepſerunt, ſic reſtituito.

Pagina ſept.a. linea 30. & inde M. Aulanum Tribunum militum Antonij, Capua &c. pag. 12. b. li. 10 nanciſcerentur, quid dicam Conſules? pag. 11. b. li. 12. deeſt, contra me eſſe facturum. Delenda uero quæ ſequuntur pag. 19. a. li. 32. Quæ eſſent Conſulares Prouinciæ, quæ Prætoriæ. Sed & pag. 15. a. li. 27. imaginis formandæ, addendum quod à nobis o' iter obſeruatum fuit, Magiſtratibus Ro. more licuiſſe, in Prouinciis quas regebant, ſtatuas ſibi ponere honoris cauſa, quaſi de Prouincia benemeritis: Sic enim interpretor illud Ciceronis 4. Verr. Iam hoc impudentiſſime Palam ſingulis Cenſoribus denarij treceni ad ſtatuam Prætoris imperati ſunt. Item pag. 43. b. li. ult. Intra Taurum montem. Gellius lib. 12. cap. 13. pag. 1. li. 24. pro mortuo. pag. 4 a. li. 26. negotium & controuerſia. pag 6. a. li. 9. ut C. Scipio pro L. Scip. in ald. pag. 7. a. li. 7. indice. pag. ead. b. li. 31. 32. habere Catilina. pag. 8. a. li. 32. Tit. de fideiuſſ. leg. 69. lib 46. D. pag. 9. b. li. 2. M. Petrij. pag. 10 b. li. 13 forticoſum. pag. 13. a. li. 5. delendum ſic. pag. 15. a. li. 23. ambos. pag. ead. b. li. 5. ut ea de cauſa. pag. 19. a. li. 26. exilium. ead. pag. li. 33 méque. pag. 20. a. li. 30. obſtrepentem Senatum. pag. 22. b. li. 3. Epiſt. Fam. lib. 11. epiſt. Permagni intereſt. pag. 23. b. li. 16. relegationem iniuſtamq; amandationem. pag. 29. a. li. 23. unde Cicero orat. pag. 30. a. li. 17. eum aliud ſentire, &c. eundemq; ipſe ſimulatorem. pag. ead. b. li. 26. male interpunctam interpretationem ſic diſtingues: Vt ſi quid eorum, quæ geſſiſſent Pomp. & Craſſus &c. uelle uidebatur, gratiam intercederet. pag 31. a. li. 15. Noricus. pag. 33. a. li. 28. ſubmerſo. pag. 35. a. li. 15. 1. Quæſt. Tuſcul. pag. ead. li. 29. miſeria. pag. 37. b. li. 10. profligarit. pag. ead. li. 30. ſiti. pag. 42. b. li. 21. item Arioniſtus. pag. 43. b. li. 10. rege dignum. pag. 50. a. li. 17. helluones, unde ligurire: fallaces. pag. 64. b. li. 9. indicantis. pag. 66. a. li. 17. lectio. pag. 69. a. li. 10. hic locus. pag. 70. a. li. ult. Græci appellant ἴθυ. pag. 76. b. li. 33. ſic diſtinguenda oratio, uilioris conditionis uxorem. Homini &c. pag. 87. a. li. 26. rebus noſtris. pag. 93 li. 10. politicen.

PRIVILEGII SENTENTIA.

CAVTVM eſt auctoritate Henrici II. Francorum Regis, ne quis alius præter Vaſcoſanum, hunc Rolandi Petreij Iureconſulti in M. T. Ciceronis orationē pro P. Sextio Commentarium, ante decennium imprimat, néue uendat. Qui ſecus fecerit, libris & pœna in ſanctione æſtimata, mulctabitur. Lutetiæ Pariſiorum, VII. Idus Februarij M. D. LIII.

Ex mandato Regis, D. Renato Baillet libellorum ſupplicum in Regia magiſtro, præſente.

Mahieu.

ORATIONIS PRO P. SEXTIO *Argumentum.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVcio Piſone Cæſoniano, & A. Gabinio Coſſ. P. Clodius homo popularis ac ſeditioſus Tribunatum gerens, id egit maximè, ut & Rempub. pernicioſis legibus euerteret, & M. Tullium uirum conſularem ſibi inimiciſſimum expelleret, déque illius pernicie legem ferret. Eo itaque anno quo Tribunatu functus eſt Clodius, Cicero à Rep. abfuit non ſine magno omnium penè ciuium dolore, quòd is ciuis abeſſet qui domeſticis malis Remp. liberaſſet. At eo in ſqualore boni ciues non fuerunt diu Ciceronem eſſe, à quo ſalutis communis atque otij integritas penderet. Nam ſequenti anno P. Cornelio Lentulo, & Q. Metello Nepote Coſſ. à nouis Tribunis Pleb. inter quos erāt Sextius & Milo, actum eſt de Cicerone reuocandò, quātumuis Clodius magna ui aduerſaretur, & acta ſua defenderet, ne reſcinderentur. Hac tanta diſſenſione animorum ac uoluntatum, res ad manum uenit, ac uis in Rep. facta, ſeruitiis à Clodio cōductis, quorum ſcelere & audacia rem prope iam explicatam, confectúmque reditus Ciceronis negotium perturbaret atque impediret. Sextius contrà cum ex ſua dignitate, & è Repub. eſſe uideret, Ciceronem ſua opera reſtitui, qui & ipſe Ciceronis amantiſſimus eſſet, parata gladiatorum manu, Clodianorum furorem fregit, eorundémque nefariis conatibus grauiter obſtitit, adeò ut deterreri non potuerit ab incepto, quātumuis à Clodianis ea in domeſtica concertatione grauiſſimum uulnus accepiſſet, par mortuo relictus: perlatáque lex eſt alio die de ipſius conſenſu à Milone collega, & Cicero magno ſtudio bonorum reuocatus. Hoc cum indigniſſimè Clodiani ferrent, ulciſcendi aliqua ex parte ſui doloris cauſa, fecerunt ut à Tullio quodam de ui Sextius accuſaretur, quod in Tribunatu armatos homines coegiſſet, ſed à Cicerone magno ſtudio & eloquentia hac oratione eſt defenſus. Cuius quidem defenſionis uniuerſa ratio cōſtituitur in translatione criminis, nempe uim & arma Clodianorum in cauſa fuiſſe, cur ſui defendendi cauſa Sextius homines armatos habuerit.

Status igitur tranſlatiuus tractatur magna quidem ac uehementi demonſtratione temporum Reip. quibus ciuitas uexata ac penè euerſa eſt à conſceleratis ciuibus, defenſa uerò à bonis ut Sextio, Milone, ac duobus Conſulibus Lentulo & Metello. Huic confirmatio additur cum refutatione eorum, quæ à Clodianis maledice contumelioſéque obiecta fuerant: & hinc digreſsio ampla & copioſa ſequitur de Optimatũ ac popularium ſecta: & Sextium quidem in Optimatibus locat, Clodium uero ut factioſum hominem, in popularibus: quo ex loco magnum firmamentum defenſionis conficitur. Ac ne hoc quidem mihi uidetur ſilentio prætereundum, dictionis genus amplum & ornatum eſſe, magna ui in aduerſarios concitatum: ut hæc ardenti ſtudio à Cicerone ſuſcepta defenſio, ſummi in Sextium amoris & grati animi ſignum eſſe debeat certiſsimum.

De hoc iudicio & defenſione Cicero. lib. 2. Epiſt. ad Q. fratrem, ſic ſcribit.

Sextius noſter abſolutus eſt III. Id. Mart. & quod uehementer interfuit Reip. nullam uideri in eiuſmodi cauſa diſſenſionem eſſe, omnibus ſententiis abſolutus eſt. Illud, quod tibi ſæpe eſſe curæ intellexeram, ne cui iniquo relinqueremus uituperandi locum, qui nos ingratos eſſe diceret, niſi illius peruerſitatem quibuſdã in rebus quàm humaniſsime ferremus, ſcito hoc nos in eo iudicio conſecutos eſſe, ut omniũ gratiſsimi iudicaremur: nam in defendendo moroſo homine cumulatiſsimè ſatisfecimus, & (id quod ille maximè cupiebat) Vatinium, à quo palam oppugnabatur, arbitratu noſtro cõcidimus, dis, hominibúſque plaudentibus.

De P. Sextio ſic ſcribit Epiſt. VIII. Cal. duas à te accepi epiſtolas, lib. 15. Epiſt. ad Att.

Dolabella Vectenum accuſat, tricatur ſcilicet, ut homo talis: ſed ait totum negocium Sextium noſtrum ſuſcepiſſe, optimum quidem illum uirum, noſtríque amantiſsimum.

M. T. CICERONIS PRO P. Sextio Oratio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SI *quis antea,* Iudices, *mirabatur quid eſſet, quòd pro tantis opibus* R*eipu. tantáque dignitate imperij, nequaquam ſatis multi ciues forti & magno animo inuenirentur, qui auderent ſe & ſalutem ſuam in diſcrimen offerre pro ſtatu ciuitatis, & pro communi libertate: ex hoc tempore miretur potius, ſi quem bonum & fortem ciuem uiderit, quàm ſi quem aut timidum, aut ſibi potius quàm* R*eip. conſulentem.*

IN EANDEM COMMENTARIVS.

INitio grauiter conqueritur bonos ciues in diſcrimen capitis & fortunarum uocari, ob egregiè defenſam Rempu. ut quis iure miretur bonorum animos timidos eſſe, & à Rep. alienos. Hoc autem ait accidiſſe conſceleratorum ciuium culpa, & præſidenti quadam audacia, quibus impunè liceat bonis omnibus periculũ moliri, quòd Rẽp. defenderint.

Tantis opib.) magna deorum benignitate auctis exaggeratiſque 4. Catil. ut ſuo decreto Iuppiter Romanos rerum dominos eſſe uoluerit. Virgil. lib. 1. Aeneid.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium ſine fine dedi, &c.

Dignitate.) Splendore & amplitudine, quippe populus Ro. princeps & omnium gẽtium dominus, atque uictor fuerit. Orat pro Cn. Plan. 4. Philip. & Orat. pro dom. O ſpeciẽ, inquit, dignitatẽq; populi Ro. quã reges, quam nationes exteræ, quã gẽtes ultimæ pertimeſcũt.

Fortem.) Huic mox, timidum, ſeu ignauum opponit, ut bono, ſi-

bi potius quàm Reip.conſulẽtem. Ac certè is uir fortis ac bonus ciuis putãdus eſt,qui periculum non timet, quique propoſita inuidia, morte, pœna, nihilo ſegnius Rempublicam defendit. Orat. pro Mil.

Libertate.) quam propriam eſſe dicit populi Ro. 6. & 10. Philip.

Bonũ.) Bonos appellare ſolet Senatũ, quique eius ſectam & animum ſequuntur in defendenda Repub. cum bonis Sextius conſenſerat.   Timidum.) Vt impauida & intrepida temeritas, ita & Timiditas ſeu ignauia fortitudini contraria eſt. Ariſt. lib. 2. ἠθικῶν νικομαχ. cap. 7. & 3. cap. 6.

Nam ut omittatis de uniuſcuiuſque ſtatu cogitando recordari, uno aſpectu intueri poteſtis eos, qui cum Senatu, cum bonis omnibus Remp. *afflictam excitarint, & latrocinio domeſtico liberarint, mœſtos, ſordidatos, reos, de capite, de fama, de ciuitate, de fortunis, de liberis dimicantes: eos autem qui omnia diuina & humana uiolarint, perturbarint, euerterint: non ſolum alacres lætóſque uolitare, ſed etiam fortiſſimis atque optimis ciuibus periculum moliri, de ſe nihil timere.* I*n quo cùm multa ſunt indigna, tum nihil minus eſt ferendum, quàm quòd iam non per latrones ſuos, non per homines egeſtate & ſcelere perditos, ſed per uos nobis, per optimos uiros optimis ciuibus periculum inferre conantur: & quos lapidibus, quos ferro, quos facibus, quos ui, manu, copiis delere non potuerunt, hos ueſtra auctoritate, ueſtra religione, ueſtris ſententiis ſe oppreſſuros arbitrantur.*

Nam ut.) Quid cauſæ eſt, ut deſerta ab officiis bonorum ciuium ſit Reſpub. & quiſque ſibi potius, quàm Reipu. ſtudeat? Nimirum, inquit, intueri poteſtis eos, qui Rẽp. tutati ſunt, miſerè opprimi, &c. αἰτιολογίαι hîc qui uolet, ſtatuat.   Statu) boni cuiuſque ciuis miſera & infœlici cõditione, quòd Reipub. ſedulã operã nauarit. Et quod uno aſpectu dixit, Gallis eſt, à ueue d'oeil.   Eos.) ſe & P. Sextium intelli-

intelligit. Domeſtico) quod inter ipſius urbis mœnia exercebatur. Eadem ſignificatione urbanum malum dicitur à Cic. orat. de prouin. conſ. Omnia illa domeſtica atque urbana mitto, quæ tãta ſunt, &c.

Sordidatos.) In reatu cõſtitutis hominibus, familiaris fuit pulla ueſtis, qua iudicũ miſerationẽ captarent. Sed & dolore confectum, ſordidatum dicimus. eſt enim ſordidatus, caſus & fortunæ: ſordidus autem, naturæ: ſi quis degat ſine ullo uitæ nitore, aut mundiciei (quæ inter ornatum & ſordes media eſt) rationem nullam habeat. Cice. in fin. orat. Piſon. & Terent. in Heaut. act. 2. Scen. 3.

Scin' hanc quam dicit ſordidatam & ſordidam.

De ciuit.) ut ciuitate pellantur, ſintque ἀπόλιδες, ut ait Vlp. in l. 1. lib. 32. D. de legat. 3. Liberis.) ut ab eorum iucundiſſimo amplexu miſerè diſtrahantur: quo parentibus nihil grauius accidit. Eos.) P. Clodium, ac duos conſules Gabinium & Piſonem intelligit: illos denique omnes quos habuit Clodius miniſtros ac ſatellites ſuarũ cupiditatum. Alacres.) Aſcon. 2. Ver. Catilina alacer atque lætus. orat. pro Mu. Volitare.) tota ciuitate ſeſe iactare, impudẽter ac nefariè omnia in ciuitate agere. uolitant propriè aues. Et quibus ineſt ſingularis quædam ſeu impudentia ſeu præfidens audacia, atque adeò animi impotentia (ut de Clodianis hoc loco ſentit Cicero) ij à Cicerone uolitare ſæpe dicuntur orat. agrar Catil. & 1. de orat. ad Q. frat. Eam autem effrænẽ animi iactationẽ ἀκρατεια Græci uocant.

Sed etiam fortiſſ.) Ald. & eum ſecutus noſter Syl. in orat. pro Mur. legunt. Sed etiam uoluntarios fortiſſ. &c. ſed perperam, meo iudicio. Moliri.) creare, impellere in diſcrimẽ. & qui in cauſa eſt, ut peccet quis, is animæ periculum molitur. Hoc itaque ait, Tuti uagantur improbi, & bonis malam peſtem, dolóſque comparant.

In quo.) Modus nocendi auget rei indignitatẽ, cum improbi bonorum opera, bonis ciuibus nocere ſe poſſe putant. Eadem ferè conqueſtio eſt, orat. pro L. Flac. Illud uero ferri non poteſt, quòd per Senatores, &c. & orat. pro Roſc. Amer. Nónne cùm multa indigna, tum uel hoc indigniſſimum eſt, &c. Egeſtate & ſcel. perd.) improbiſſimos quoſque & deſperatæ uitæ homines. Egeſtas in re mala plerunque dici ſolet, quòd ad ſcelus audendum homines impellat: Hinc illud Eurip.

πενία διδάσκει δ' ἄνδρα τῷ χρείᾳ κακόν.

Scitum profecto & illud eſt Terentij in Andr. act. 1. Scena. 5. Bene & pudice eius doctum atque eductum ſinam Coactum egeſtate ingenium immutarier? Vlp. etiam quodam reſponſo infamiam egeſtati affinem facere uidetur. l. 35. li. 47. D. de iniur. Lapidibus.) ſæpe enim in foro & curia, ac multis partibus urbis, lapidibus egit Clodius. Epiſt. 3. lib. 4. Epiſt. ad Att. Manu, copiis.) collecta gladiatorũ operarũmq; multitudine. Religione) iureiurãdo. Iudices enim in leges iurabant. Cic. Orat. pro C. Rab. perduell. In quo ego demiror meminiſſe te, &c. Scribit Liuius, nulli apud Ro. licuiſſe magiſtratũ plus quinque dies, niſi iuraſſet in leges, gerere. Quod & eleganter ſcribit Demoſthenes pro Cteſiph.

Ego *autem*, Iud. *qua uoce mihi in agendis gratiis, commemorandóque eorum, qui de me optime ſunt meriti, beneficio, eſſe utẽdum putabam, ea nunc uti cogor in eorum periculis depellendis. iis potiſſimum hæc uox ſeruiat, quorum opera & mihi & uobis & populo* Romano *reſtituta eſt.* Et *quanquam à* Q. *Hortenſio clariſſimo uiro atque eloquentiſſimo cauſa eſt* P. Sextij *perorata, nihilque ab eo prætermiſſum eſt, quod aut pro* Rep. *conquerendum fuit, aut pro reo diſputandum: tamen aggrediar ad dicendum, ne mea propugnatio ei potiſſimum defuiſſe uideatur, per quem eſt perfectum, ne cæteris ciuibus deeſſet.* Atque *ego ſic ſtatuo,* Iud. *à me in hac cauſa, atque in hoc extremo dicendi loco, pietatis potius quàm defenſionis, querelæ quàm eloquentiæ, doloris quàm ingenij partes eſſe ſuſceptas.* Itaque *ſi aut acrius egero, aut libentius, quàm qui ante me dixerunt: peto à uobis, ut tantum orationi meæ concedatis, quantum & pio dolori & iuſtæ iracundiæ concedendum eſſe putetis.* Neque *enim officio coniunctior dolor ullus eſſe poteſt, quàm hic meus, ſuſceptus ex hominis de me*

optimè

optimè meriti periculo, neque iracundia ulla magis laudanda, quàm ea, quæ me inflammat eorum ſcelere, qui cũ omnibus ſalutis meæ defenſoribus bellum eſſe ſibi gerendum putauerunt.

Ego autem.) Aliam de ſua conditione querelam inſtituit, quæ eò tendit, ut defenſionis ſuæ ſtudium, & animi gratitudinem erga Sextium commendet. De me opt.mer.) qualis eſt hic Sextius, qui me cum omnibus rebus, quibus Tribunus plebis potuit, defendit: tum reliquis officiis iuxta ac ſi meus frater eſſet, ſuſtẽtauit. Orat. poſt Red. in Sen. Iis potiſſ.) Nõ erat quod Manut. hunc locum ſtellatum faceret, quaſi quid deeſſet: deeſt uerò nihil. minus probari poteſt eius lectio, cùm pro ſeruiat, ſeruit legendum putat. Et quanquam.) Vnius cauſæ plurimi aliquãdo fuêre patroni, atque ita illi inter ſe cauſam diuidebant, ſuas ut quiſque partes ageret: pro Sylla Hortenſius de priore cõiuratione, de poſteriore Cicero egit. Iidem & hanc cauſam communem habuerũt. In cauſa L. Murenæ tres patroni extitêre: L. Cornelij Balbi totidem. Clariſſ.) ingenio, nobilitate, exiſtimatione præſtanti. Orat. pro Quint. Eloquentiſſ.) cui ſummã copiã facultatémque dicẽdi natura largita eſt. ead. orat. Homine ingenioſiſſimo & copioſiſſimo. orat. pro Muræna. Perorata.) diligenter pertractata, concluſa, ad exitum uſque aliquem perducta. Cic. orat. pro Quint. Mihi difficile eſt contra tales oratores cauſam perorare, hoc eſt, ut ego interpretor, pertractare. Atque haud ſcio an negotiorum confectionem, Leo imperator perorationem uocet. apud Iuſtin. in L. Nemini. De aduocat. diuerſ. Iudiciorũ, lib. 2. Cod. Niſi & ipſi quoque Leoni peroratio cauſæ tractatio ſit, & negotium, licet controuerſia. Conquerendum.) in demonſtranda rei indignitate, ac iniuriæ acerbitate, quòd uir bonus Sextius ob defenſam remp. periclitetur. Diſputandum.) in explicanda cauſa & argumentis confirmãda. Diſputat & qui ambigit, & qui iudicio cõtendit: uerè tamẽ diſputatio philoſophi eſt, ut dictio oratoris. & I. orat. in Rull. Ciceroni diſceptator, iudex eſt. Perfectum.) in ſuo Tribunatu, in quo de me laborauit maximè. Itaque ſi aut.) Hæc eò tendunt, ne quid præſidenter aut nimis cõtumelioſe in aduerſarios dictum eſſe uidea-

tur. Atque hoc quàm grauiter & oratorie in cauſa Calamitoſorum Prouincialium feceris, ſatis omnes noſſe puto. Pio dolori.) ſuſcepto ex amici periculo. Sic & iuſtam iracundiam dicit, hoc eſt ulciſcendi libidinem, puniendi doloris cupiditatem ob exagitatum Clodianorũ calumnijs Sextium. Quòd ſi iracundiam feruorem mentis intelligas, accenſa erit cupiditas non ultio: poteſt enim mens feruere, ſine ulciſcendi cupiditate. Cicer. 3. diſput. Tuſcul. Magis laudãda.) Permoueri animo, aut grauiter quenquã affici, in dubiis amicorũ rebus quis reprehendat? ut Homericũ illud ſit celeberrimum, ἶσον ἐμῇ κεφαλῇ.

Sed quoniam ſingulis criminibus cæteri reſponderunt, dicam ego de omni ſtatu P. *Sextij, de genere uitæ, de natura, de moribus, de incredibili amore in bonos, de ſtudio cõſeruãdæ ſalutis cõmunis, atq; otij: contendámque (ſi modo id conſequi potero) ut in hac cõfuſa atq; uniuerſa defenſione, nihil à me quod ad ueſtram quæſtionem, nihil quod ad reũ, nihil quod ad* Remp. *pertineat, prætermiſſum eſſe uideatur.* Et *quoniã in grauiſſimis temporibus ciuitatis, atq; adeò ruinis euerſæ atq; afflictæ* Reip. P. *Sextij* Tribunatus *eſt à fortuna ipſa collocatus, non aggrediar ad illa maxima atque ampliſſima prius q̃ docuero, quibus initiis atq; fundamẽtis hæ tãtæ ſummis in rebus laudes excitatæ ſint.*

Sed quoniam.) Totius huius defenſionis narratio paulò altius repetetur, quàm tamen omnibus partibus ad cauſam ſit accommodaturus. Nat. Morib.) ἠθικὴν intelligit, hoc eſt, ſuauitatem ac moderationem morum P. Sextij. Sicque Budæus in quadam ad Draconem epiſtola ſcribit: Quantum decus ſit, quanta pulchritudo huius moderationis in moribus, quam propriè uocamus ἠθικὴν, ne quidem intelligi poteſt, niſi inde uſque ab adoleſcentia imbuantur animi liberali doctrina, & impetus frænare ac regere diſcant. Salutis cõmunis.) pro qua nullas ſibi inimicitias, nullam uim, nullos impetus, nullũ uitæ diſcrimen uitandum unquam putauit. orat. poſt red. in Sen. Confuſa.) uaria ac multiplici: ac in multas partes diſſecta. quòd uaria

ſint

ſint huius defenſionis capita. Perturbatum, turbulentum, uarium & permixtum, confuſum dicimus. Cic. 1. de diuinat. Onuſti cibo & uino perturbata & confuſa cernimus. Quæſtionem.) notionem, ac iudiciũ de ui ferendũ. Nam ut ſcribit Cicero in prætura urbana: De eo quod malum facinus erat, quæſtio ad populũ pertinebat, à quo Iudices ſorte dati, ipſius populi iudicia exercere dicebãtur: adeò ut nullæ Iudicibus partes in quæſtione publica (quæ tota legis imperio & præſcripto gubernabatur) relinquerentur. Et cũ de ui publica à Clodianis Sextius accuſaretur, nemo eſt, puto, qui dubitet ad leges publicorum iudiciorum & populi notionem ſeu quæſtionem, iudicium hoc de ui pertinuiſſe. Id docent Vlp. & Martianus Iureconſ. in L. 1. Ad leg. Iul. de public. iudic. & L. 3. ad leg. Iul. de ui public. lib. 48. D. Ad Remp. perti.) quod è re totius Reip. eſſet, quódque illi maximè conduceret, ut ea aliquando reficeretur, quæ furente ac dominante Clodio miſerè perculſa fuiſſet, bonis ciuibus oppreſſis. Grauiſſ. temp.) quibus poſt coniurationem Catilinæ ambitio & audacia plus quàm leges ualebant. Ruinis euerſ.) legibus Clodianis, quarum latione miſerè elãguit Reſpub. explicantur ab Aſcon. orat. pro Mil.

Fortuna.) Deum Cicero nonnunquam neceſſitatem uocat, quia nihil ſecus eueniat, quàm ab eo ſit conſtitutum, nonnunquam fortunam quod multa efficiat nobis improuiſa, nec opinata cauſarum obſcuritate & ignoratione. Cic. in Topic. & Acad. quæſt. Ad illa maximè.) Remp. & Tribunatum Sextij dicit. Summis in reb.) in defendenda Rep. conſeruando, retinendóq; cõmuni otio. Excitatæ.) tanquã exædificatæ, ac penè ad ſummũ uſque faſtigiũ euectæ.

P*arente* P. S*extius natus eſt*, I*ud. homine (ut plerique meminiſtis) & ſapiente, & ſancto, & ſeuero: qui cũ* T*ribunus pleb. primus inter homines nobiliſſimos temporibus optimis factus eſſet, reliquis honoribus non tam uti uoluit, quàm dignus uideri.* E*o authore duxit honeſtiſſimi & ſpectatiſſimi uiri* C. A*lbini filiam: ex qua hic eſt puer, & nupta iam filia.* D*uobus his grauiſſimis antiquitatis uiris ſic probatus fuit, ut utrique eorum & charus maximè &*

iucundus eſſet. Ademit Albino *ſoceri nomen mors filiæ: ſed charitatem illius neceſſitudinis & beneuolentiam nõ ademit: hodie ſic hunc diligit, ut uos facile poteſtis ex hac uel aſſiduitate eius, uel ſolicitudine & moleſtia iudicare.* Duxit *uxorem patre uiuo optimi & calamitoſiſſimi uiri* L. Scipionis. *Clara in hoc* P. *Sextij pietas extitit, & omnibus grata quòd &* Maſſiliã *ſtatim profectus eſt, ut ſocerum uidere conſolaríq; poſſet fluctibus* Reip. *expulſum, in alienis terris iacentem, quem in maiorum ueſtigiis ſtare oportebat, & ad eum filiam eius adduxit, ut illo inſperato aſpectu complexúque, ſi non omnem, at aliquam partem mœroris ſui deponeret: & maximis officiis, & illius ærumnã quoad uixit, & filiæ ſolitudinem ſuſtentauit.*

Parente.) Ecquis tam infans, qui initiũ narrationis eſſe nõ intelligit? Sancto.) integro, incorrupto. Seuero.) graui, conſtantíque.

Primus.) primo loco per præconem Tribunus pleb. renuntiatus inter ſuos competitores: hoc autem honorificum erat. Plura de Sextij patre apud Ciceronẽ non legi, quod ſciam: etſi nõ defuerint, qui Sextij genus ad quendã P. Sextium Vaticanum uirum Cõſularem retulerint: id mihi ſi ex Cicerone probent, ſequar. Tẽporib. opt.) florẽte Rep. Huic Cicero paulò antè oppoſuit, grauiſſimis tẽporibus. Tẽpus enim Ciceroni, ferè ſemper, eſt miſera rerum conditio, & afflicta Reip. fortuna. Auctore.) de conſen. patris: quo ſpreto iuſtos non fore liberos prudentes Ro. dixerunt. L. Paulus de ſtatu hom. lib. 1. D. ut uere excandeſcat ille Terentianus pater:

A deon' impotenti eſſe animo, ut præter ciuium
Morem atque legem, & ſui uoluntatem patris,
Tamen hanc habere ſtudeat cum ſummo probro?

C. Albin.) lib. 13. Epiſt. fam. epiſt. Cũ & mihi cõſcius eſſem, &c. Hic eſt puer.) L. Sextius. ead. epiſt. Huius pietas, uirtus eximia, & ſingularis induſtria à Cicerone commẽdatur, epiſt. Nõ obliuione amicitiæ noſtræ, &c. lib. 5. epiſt. fam. Antiq. uiris.) integerri-

mis,

mis & ſpectatiſſimis. Hunc.) Sextium patrem reum. Aſſiduitate.) præſentia in hoc iudicio, quotidiana opera, quam in defendendo Sextio præſtat Albinus. Acrem diligentiam, aſſiduitatem dicimus.

Calamitoſiſſ.) A Sylla, ut Marianus, proſcripti. Oroſ. lib. 5. cap. 21. Plutarch. in Syll. uide epiſtolam, Cùm dediſſem ad te literas, &c. lib. 9. epiſt. ad Att. L. Scip.) L. Cornelij Scipionis Aſiatici, qui Conſul fuit cum C. Norbano an. urb. cond. 670. ut erudite fecerint, qui in orat. pro Quint. Scipione & Norbano deſcripſerint, cùm antea malè, Spurione & Norbano legeretur. C. Scipio, pro L. Scip. ut in Ald. codice. Maſſiliã.) ubi exulabat Scipio L. Craſſi grauiſſimi oratoris gener, lib. 3. de orat. ad Q. frat. & in Bru. De Maſſilia Cic. 2. offic. & orat. pro L. Flac. Strab. lib. 4. Fluctib. Reip.) turbulẽtis ac procelloſis Reip. tẽporibus, afflicta Rep. bello ciuili inter Syllã & Marium concitato. App. lib. 1. bell. ciuil. Veſtigia.) dignitate florere, eandem cum ſuis maioribus in Rep. dignitatem obtinere. A pedum impreſſione ductum. Præclare Cic. quodam loco, ne ueſtigium quidem ullum eſt reliquum nobis dignitatis. Aſpect. cõplex.) Liberorum aſpectus parentibus iucundiſſimus eſſe ſolet: neque enim liberis dulcius quicquam humano generi à natura datum, ait Cicero orat. poſt red. ad Quirit. Verè Gregorius Nazian. φίλτατον μὲν συνέδροισι φύσις τοκέας τε γόνους τε. *Vixit.) L. Scipio. Solitudinem.) luctum, ac penè uiduitatem: neque enim ad locum ſolitudo tantùm refertur, ſed & ad perſonam mœrore, & animi anxietate confectam. Eſt & ſolitudo tenuitas, humilitas, tum rei, tum etiam nominis, & celebritati opponitur.*

Poſſum multa dicere de liberalitate, de domeſticis officiis, de Tribunatu *militũ, de prouinciali in eo magiſtratu abſtinẽtia: ſed mihi ante oculos obuerſatur* Reip. *dignitas, quæ me ad ſe rapit, hæc minora relinquere hortatur. Quæſtor hic* C. Antonij *collegæ mei* Iud. *fuit ſorte, ſed ſocietate conſiliorum meus. impedior nonnullius officij, ut ego interpretor, religione, quò minus exponam quàm multa ad me detulerit, quanta antea prouiderit.* Atque ego de Antonio

nihil dico, præter unum: nunquam illum in illo ſummo timore ac periculo ciuitatis, neque communem metum omnium, neque propriam nonnullorũ de ipſo ſuſpicionem, aut inficiando tollere, aut diſsimulando ſedare uoluiſſe. In *quo collega ſuſtinendo atque moderando, ſi meam in illum indulgẽtiam coniunctam cum ſumma cuſtodia* Reip. *laudare uerè ſolebatis: par prope laus* P. *Sextij eſſe debet, qui ſuum ita* *Cõſulem obſeruauit, ut & illi quæſtor bonus, & nobis omnibus optimus ciuis uideretur.*

Domeſtic.offic.) ſtudio in amicos, & ſibi coniunctos homines, quos beneficiis ſibi deuinctos habebat. Trib milit.) qui caſtrorum & exercitus curam ageret, ne ſine munimento, ſine cuſtodiis eſſet, peruigiles excubias iuberet, &c. Alexander ab Alexand. lib.ult. Genial.dier.cap.ult. & Cic.2.Legum. Quam primum poteſtatem ij Tribuni habuerint, uidere eſt apud Liu.lib.4. Decad.1. & quorum ſuffragio primum crearentur, idem Liu.ſcribit lib.2.Decad.4.

Prouinc.abſtinen.) moderatione & cõtinentia, quam in prouincia præſtitit. Facilè quis prouincialium gratiam promeretur, abſtinentia & liberalitate. Primùm enim ab omni iniuria abſtinendum eſt, ac cùm te innoxium ſeruaris, danda opera munificentiæ. Excelluit Sextius continentia & liberalitate. Rapit.) ui quadam ad ſe attrahit & reuocat. Hæc minora.) ut liberalitatem, abſtinentiam, domeſtica officia, &c. Quæſtor hic.) Sextius C. Antonij in Macedonia Proconſulis quæſtor fuit. At Cicero Sextium proconſulem facit epiſt.6.lib.5.epiſt.fam. fortaſſe, quia reuocato Antonio ſolus in prouincia Sextius relictus fuerit: & Cicero in diuinat. Quæſtorem ſocium Proconſulis facit in publico munere adminiſtrando. Noſter Pomponius in L.2. De orig.Iur.lib.1. D. Quæſtorem in magiſtratibus numerat. Idẽ omnino Gell.lib.13.cap.13. Collegæ.) C. Antonius cum Cicerone conſul fuit. Salluſt.in Catil. & Plin.lib.8.cap.53.

Societate.) quippe communicato inter nos conſilio, mutua uoluntatum ac ſtudiorum conſpiratione, Remp. in conſulatu defendendam ſuſceperamus. Officij relig.) obſeruatione quadã erga Antonium collegam,

collegam,& arctiori ſanctiorique neceſſitudine. Certè magiſtratuũ animi,mutuo quodam obſequio,obſeruationéque,quaſi religione inter ſe deuinciuntur. Detulerit.) C.Antonius in ſuſpicionẽ coniurationis uenerat, & illius molitionem ſeu conatũ Ciceroni Sextius indicarat. Ad hũc locum facit,quod ſcribit Cic.ad finem epiſt.Miror cur me accuſes .lib.7.epiſt.fam.cuius inſcriptio,non de M.Fabio Gallo coniurationis Catilinariæ iudice accipi debet,qui quo tempore exulabat Cicero,Tribunus non fuerit, ſed ne aliis quidem temporibus,quod ſciam,ſed de P.Sextio, cui cognomen fuit Gallo : fuiſſe enim hoc Sextianæ gentis cognomẽ ex Miloniana ſemper exiſtimaui.In ea ſic ſcribit Cic.Sacrarium quod eſt in fundo T.Sextij Galli. Sextium uerò Tribunatum petiiſſe Ciceronis reſtituendi cauſa,nemo eſt qui neſciat. Communem metum.) cùm omnes ſibi maximè timerent à ſcelerata mente Catilinæ & Antonio, quem ſuſpicabantur nefariarũ cogitationum Catilinæ participem eſſe. Vnde, ni fallor, Antonius Teucris à Cicerone nuncupatur lib.1.epiſt. ad Attic. epiſt. Et mea ſponte faciebam antea,&c.cùm ita L.Catilinæ,patriæ minitanti coniunctus uideretur,ut illi regnum Conſul non aliter atque Teucri filia Dardano comparare poſſe crederetur. Suſtinendo.) cùm de eo malè ciues ſentirent. Moderando.) mitigãdo meo obſequio. Orat. in L. Piſ. Indulgentiam.) qui prouinciam Galliam illi ceſſerim,quò à Catilinæ conſiliis diſtraheretur. Eadẽ orat.in Piſ.Ego Antonium collegam meum cupidum,&c. Optimus.) qui malè de Rep.cogitantem Antonium detulerit, & mecum in profligandis coniuratis conſenſerit.

Idem cùm illa coniuratio ex latebris atque ex tenebris erupiſſet,palámque armata uolitaret, uenit cum exercitu Capuam,*quam urbem propter plurimas belli opportunitates,ab illa impia & ſcelerata manu attẽtari ſuſpicabamur,& inde* M.*Aulanũ Trib.militum.* Antonij *Capua præcipitem eiecit,hominem perditum,& non obſcurè,*Pi*ſauri,& in aliis agri Gallici partibus, in illa coniuratione uerſatum.* Idémque C.Marcellum, *cùm is non ſolùm* Ca-

puam ueniſſet, uerùm etiam ſe quaſi armorum ſtudio in maximam familiam conieciſſet, exterminandum ex illa urbe curauit: qua de cauſa & tum conuentus ille Capuæ, qui propter ſalutem illius urbis Conſulatu conſeruatam meo, me unum patronũ adoptauit: hinc apud me P. Sex*tio maximas gratias egit: & hoc tempore, ijdem homines nomine cõmutato* Coloni, Decurioné*ſque fortiſsimi, atque optimi uiri, beneficium* P. Sextij *teſtimonio declarant, periculúmque decreto ſuo deprecantur.*

Ex teneb. erupiß.) patefacta eſſet, in lucem ueniſſet. Vim quandam & impetum habet uerbum iſtud. Res in actum erumpit, quæ effectum ſortitur. Cic. in M. Ant. Poſtremò erumpat aliquando uera, & me digna uox. Hinc Eruptiones militares. Capuam.) caput non Campaniæ modò, ſed & poſt afflictã rem Rom. pugna Cannenſi, Italiæ. Liu. lib. 3. Decad. 1. Hanc luxuriæ ac ſuperbiæ domicilium appellat Cic. orat. poſt red. in Sen. Vnde uerò dicta ſit, ſcribit idẽ Liu. lib. 4. Decad. 1. & Virg. 8. Aeneid. Belli opportunit.) propter agri ubertatem, rerum omnium abundantiam, urbis magnitudinem. Orat. 2. in Rull. Attentari.) ex inſidiis adoriri, ad defectionẽ ſolicitari. Attentatur & alicuius pudicitia, cùm id agitur blanda & fallaci oratione, ut ex pudico quis impudicus fiat. præclare dixit Cic. 2. de orat. ad Q. frat. Compoſitæ orationis inſidiis fidem auditoris attentare. M. Aul.) Fuit aliquãdo tempus illud, quo A. Munatium legendum eſſe putabam, ut is eſſet Munatius, qui à Cic. 2. Catil. decoctor, & Catilinæ ſatelles dicitur: uerum ut ſententiam mutarem, fecit antiquus codex uenetus, in quo Menialinũ corruptè legi crediderim pro Menulanum. Hoc cùm non uiderit Manutius, temerè ſtellulam adiecit, cùm tamen nihil deſit. Piſauri.) Coloniæ in agrum Gallicum deductæ, an. urb. cond. 570. Coß. P. Claudio Pulchro, & L. Porcio Licinio, Catone cenſuram gerente. Liu. lib. 9. Decad. 4.

Agri Gall.) Varro lib. 1. de re Ruſt. In eo agro cùm delectũ habere Catilina cogitaſſet, anteuertiſſe Q. Metellũ Celerẽ exiſtimarim,

&

& ex Gallicanis legionibus exercitũ cõparaſſe, quem tamen Cicero parũ probat, imò uerò contemnit 2. Catil. Vt quis mirari non debeat attentatum fuiſſe à Catilina agrum Gallicum, cùm in eo multi eſſent ruſtici mendiculi & decoctores, ead. Catil. C. Marcell.) coniurationis ſocium. Hunc quærimus, neque enim auſim aſſerere eum eſſe, quem Suet. in Iul. Cæſ. fratrem patruelẽ M. Marcelli facit, aut eum quem Cicero timidum uocat lib. 10. Epiſt. ad Att. epiſt. Seruius cùm eſſet apud me, &c. Studio arm.) quaſi à gladiatoribus Capuanis uitandi aut inferendi ictus ſubtiliorem rationẽ addiſcere uellet, & gladiatoriam profiteri, cùm re uera aliud ageret, & Capuam ad cõiurationem ſolicitaret. Familiam.) gladiatoriam, quam maximã Cæſar habuit Capuæ, Cic. lib. 7. Epiſt. ad Att. epiſt. Ad VI. Calẽd. Feb. Capuam Calibus proficiſcens, &c. Cæſ. lib. 1. de bell. ciuil. De familia multa congerit Alciat. de uerb. ſignific. D. Conuentus.) totius Campaniæ, quaſi Senatus & conciliabulum: Cõuentus ſunt in prouinciis & Municipiis. Feſt. Patronum adop.) ſui capitis, & fortunarum defenſorem eſſe uoluiſſent. Id in more poſitum fuit, ut auxilij egentes prouinciales homines, in prócerum Rom. tutelam, ſe ac clientelam conferrent. Connanus iuriſconſultorũ memoriæ noſtræ facile princeps lib. 2. Comment. Iuris ciuilis cap. 7. Horat. Od. 18. lib. 2. Nomine commut.) Nam C. Cæſar agrum Campanum & Stellatem diuiſerat, & Capuam colonos deduxerat. lib. 7. Epiſt. ad Att. epiſt. Ad V I. Calend. Febr. &c. & Philipp. 2. Decuriones.) De iis ſcribit Pomponius in L. pupillus eſt. de uerb. ſignific. D. Valla lib. 6. cap. 32. Et Connanus noſter lib. 4. cõment. Iur. ciuil. cap. 15. Hoc tantùm adiiciam, etiam in expeditione militari decuriones fuiſſe, qui denis equitibus præeſſent, ut feſt. ſcribit, licet Fronto eos turmæ præfuiſſe dicat. Decreto.) ſua ſententia, qua declarãt, quàm egregiè Sextius eos defenderit, & periculo liberarit. Propriè decreta, ſententias prætorias dixerim cũ Celſo. in L. Quod iuſſit. de re iudicat. lib. 42. D. Deprecatur.) Quid hoc uerbum ſignificationis haberet in reſpõſo Pauli iuriſconſ. tit. de fideiuſſ. ata breuiter docere interpretes potuiſſent, ut aliud nihil eſſet, quàm periculum auertere, malum quod impendet depellere, & reum ad impunitatem expoſcere: ἐξαιτεῖσθαι Græci dicunt, hoc eſt, reatu eximere.

Recita quæſo P. Sexti, *quid decreuerint Capuæ Decuriones, ut iam uirilis tua uox poſsit aliquid ſignificare inimicis noſtris, quidnã cum ſe corroborauerit, effectura eſſe uideatur.* DECRETVM DECVRIONVM. *Non recito decretũ officio aliquo expreſſum uicinitatis aut clientelæ, aut hoſpitij publici, aut ambitionis, aut commẽdationis gratia, ſed recito memoriam perfuncti periculi, prædicationẽ ampliſsimi beneficij, uicem officij præſentis, teſtimonium præteriti temporis. Atque illis temporibus iiſdem cùm iam Capuã metu Sextius liberaſſet, urbem Senatus, atq; omnes boni, deprehenſis atque oppreſsis domeſticis hoſtibus, me duce ex periculis maximis extraxiſſẽt. ego literis eum Capua accerſiui, cum illo exercitu, quem tum ſecum habebat: quibus hic literis lectis, ad urbem cõfeſtim incredibili celeritate aduolauit. Atque ut illius temporis atrocitatem recordari poſsitis, audite literas, & ueſtram memoriam, ad timoris præteriti cogitationem excitate.* LITERAE CIC. CONSVLIS.

Recita.) In iudiciis actores cauſarum, ſi quid recitari uellent, lectores ſibi quos uolebãt, conſtituebãt. Noſtris moribus uel Patronus, uel Actuarius, ſeu Amanuenſis hoc munere fungitur. Ipſum Sextium reum recitatorem Cicero habuit, ut temerè fecerint, qui L. pro P. reponendum eſſe exiſtimarint, ut recitator fuerit filius, non pater. At illi coniecturam nullam, ineptam ſaltem adferunt. Effectura.) ſi quando agas cum populo, & conciones pro roſtris habeas.

Non recit.) ea refellit, quæ fidem & auctoritatem decreti poſſent eleuare. Vicinit.) quòd Sextio cum Capuanis magnus ſit uſus, magna intercedat uicinitas, quã in propinqua parte amicitiæ ponimus.

Clientelæ.) quòd in fide & clientela Sextij ſint Capuani, quòd eorum ſit patronus. Ambitionis.) decretũ extortum precibus, ſingulíſque appellandis, rogãdis, ac ueluti blandè prenſandis. Perfun-

cti

cti peric.) exhauſti, & quod illa ciuitas ſubiit cõiurationis tempore. Vt officio functos dicimus, qui officia debita compleuerũt, ait Ser. 6. Aeneid.) ſic qui pericula ſubierunt, periculis defunctos. Virg.

O tandem magnis pelagi defuncte periclis,
Sed terra grauiora manent, &c.

Benefic.) Quale uerò illud fuerit Sextij beneficium, mox explicat Cicero. Atque illis temporibus ijſdem, &c. Vicem offic.) quãdam quaſi compenſationem ac remuneratione͂ accepti beneficij à Sextio.

Metu.) exterminatis, expulſiſque Capua coniuratis. Senatus ac omnes bo.) Id pluribus à Cic. explicatur. 4. Catilin. cùm ait, Sed quæ exaudio P.C. diſsimulare nõ poſſum: iactantur enim uoces, &c. ad finem uſque Catil. Me duce.) Conſule. ead. 4. Catil. Habetis, inquit, ducem memorem ueſtri, oblitum ſui. & ſæpe Orat. pro dom.

Ex peric. extraxiſſ.) hoc eſt, interprete Cicerone, totius urbis templis, delubris, tectis omnibus ſubiectos propè iam ignes ac circundatos reſtinxiſſent, ijdémq; gladios in Remp. diſtrictos retudiſſent. Celerit. aduol.) Hinc facile beneficij magnitudo elucet: quo enim grauiora ac propiora fuere pericula, eo maius eſt beneficiũ Sextij, & glorioſior illius in tuenda Rep. malo inteſtino oppreſſa, celeritas: quæ etiam uerbo, aduolauit, commendatur.

Hoc aduentu P. *Sextij* T*ribunorum pleb. nouorũ, qui tum extremis diebus* C*onſulatus mei, res eas quas geſſerã, uexare cupiebant, reliquique coniurationis impetus & conatus ſunt retardati.* A*c poſtquam eſt intellectum,* C*atone* T*ribuno pleb. fortiſsimo atque optimo ciue* R*emp. defendente, per ſeipſum* S.P.Q.R. *ſine militũ præſidio tueri facile maieſtatem ſuam & dignitatem eorũ, qui ſalutem periculo ſuo defendiſſent:* S*extius cũ illo ſuo exercitu ſumma eſt celeritate* A*ntonium conſecutus.* H*ìc ego quid prædicem, quibus hic rebus* C*onſulem ad rem gerendam excitarit?* Q*uot ſtimulos admouerit homini ſtudioſo fortaſsis uictoriæ, ſed tamen nimium communem* M*artem, bellíque*

caſum metuenti? Longum *eſt dicere, ſed hoc breue dicam.* Si M. Petrei *non excellens animus, & amore* Reip. *conſtans in* Rep. *uirtus, non ſumma auctoritas apud milites, non mirificus uſus in re militari extitiſſet, neque adiutor ei* P. Sextius *ad excitandum* Antonium, *cohortandum, impellendum fuiſſet datus, illo in bello eſſet hyemi locus, neque unquam* Catilina, *cùm è pruina* Apennini, *atque è niuibus illis emerſiſſet, atque æſtatem integram nactus,* Italiæ *calleis, & paſtorum ſtabula præclara cepiſſet, ſine multo ſanguine, ac ſine totius* Italiæ *uaſtitate miſerrima concidiſſet.*

Hoc aduentu.) in urbem cum exercitu, relicta Capua. Tribun. pleb. nouor.) nuper deſignatorum. Ex his princeps fuit Q. Metellus Nepos, qui Ciceronem Conſulatu decedentem concionari prohibuit, cùm eſſet de rebus à ſe geſtis dicturus, & populum ad perſequendas coniurationis reliquias adhortaturus. epiſt. 2. lib. 5. Epiſt. famil. Catone.) M. Porcio Catone, qui poſtea Vticenſis dictus. Huius modeſtia, grauitas & ſeueritas commendatur à Saluſt. in Catil. Defendebat autem Remp. aduerſus impetus & conatus ſuorum Collegarum, Beſtiæ ſcilicet & Nepotis. Antoniũ.) perſequentem in Ethruria Catilinam. Saluſt. Stud. fortaß. uict.) dubitanter locutus, ut qui de C. Antonio nunquam bene ſenſiſſe uideatur, eúmque prædonem & gladiatorem dixerit Orat. in tog. cand. & Aſcon. in ſuis ad eam orat. comment. Itaque quæ de Antonio dicuntur à Cicerone. 1. Catil. tempori haud ueritati tribuenda eſſe facilè exiſtimarim. Communem Martem) dubium pugnæ euentum. epiſt. 1. lib. 6. Epiſt. famil. De quo & illud Homeri eſt intelligendum lib. Iliad. χ.

Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα. *id eſt,*

Tum pater auratas librabat utrinque bilances.

Cæterùm ſatis officioſe Antonium excuſare uidetur. M. Petrei.) adoleſcentis ſummæ nobilitatis. Cæſ. lib. 3. bell. ciuil. à rege Iuba interfectus fuit. Hirc. de bell. Afric. Excellens animi.) Ald. legit, excellens.

excellens animo, & amore Reip. uirtus. Sed noſtra lectio planior & uerior. Auctorit.) Cic. orat. pro leg. Manil. Ego, inquit, ſic exiſtimo in ſummo imperatore quatuor has res ineſſe oportere: ſciētiā rei militaris, uirtutem, auctoritatē, fœlicitatem. Mirificus uſus.) ſine quo Imperatores nihil unquā laude dignū geſſerunt. lib. 1. offic. Illo in bello eſſet hyem. loc.) id eſt, bellum in hyemem tractū ductūq; eſſet, & hyemis interuentu Catilina reſpiraſſet, uireſque collegiſſet. Ald. codex mendoſus. Neque unquā.) al. nequaquam. E pruina Apen.) poſt hyemem tranſactam. Ros concretus, pruina eſt. Apenninus mons Italiam mediam diuidit, éſtque intolerandi frigoris. Liu. lib. 2. Decad. 3. Pont. in Meteor. Vnde cadūt imbres, inquit, unde & nix concitat alas. Huc etiam referri poteſt, quod ſcribit Cic. 2. Catil. Verūtamen quid ſibi iſti miſeri uolunt? Quo autem pacto illi Apēninum, atque illas pruinas ac niues perferūt? Al. Apœnini. Calleis.) tenues & anguſtas uias. Ser. 4. Aeneid. Paſtorum ſtab.) uicos & pagos omnes. Hæc εἰρωνικῶς de Catil. qui non auderet ſe planis publiciſque uiis & locis committere, ſed tanquam prædo in ſpeluncis ac latebris deliteſceret, ac ſe notitia latebrarum, compēdiiſque uiarum tegeret. Stabula, non ea tantùm loca ſunt, in quibus animalia diuturno fracta labore commorari, diuertere, & quaſi ſtationem habere ſolēt, ſed & hoſpitia & diuerſoria, in quæ homines longo itinere fatigati diuertūt. Hinc ſtabularij Vlpiano in interpretatione edicti prætoris. Naut. Caup. Stab. ad finem lib. 4. D.

Hunc igitur animum ad Tribunatū attulit P. Sextius, ut quæſturam Macedoniæ relinquam ; & aliquando ad hæc propiora ueniam. Quanquam non eſt omittenda ſingularis illa integritas prouincialis, cuius ego nuper in Macedonia uidi ueſtigia nō preſſa leniter ad exigui prædicationem temporis, ſed fixa ad memoriam illius prouinciæ ſempiternam. Verùm hæc ita prætereamus, ut tamen intuentes & reſpectantes relinquamus. Ad Tribunatum, quia ipſe ad ſe iamdudum uocat, & quodammodo ab-

ſorbet orationem meam, contento ſtudio, curſuque ueniamus. De quo quidem Tribunatu ita *dictum eſt ab* Hortẽſio, *ut eius oratio non defenſionem modò criminum uideretur continere, ſed etiam memoria digna uti, &* Reip. *capeſſendæ auctoritatem diſciplinámque præſcribere.*

Ad hæc propiora.) magis ad cauſam faciẽtia, huic cauſæ connexa maximè. Integritas prouinc.) abſtinentiã anteà dixit. Non preſſa leuiter.) hoc eſt, nõ obiter notata, ſed firmiter hærentia. Reſpectan.) quodammodo ad illa oculos reflectentes, ac eorum memoriam reuocantes, ne quid tranſiliat oratio noſtra, quod & ad Sextij cauſam & laudem faciat. A nauigãtibus ducta metaphora. Abſorbet.) Ductum & iſtud ab aquæ gurgitibus & uoraginibus, quibus abſorbentur naues: aut fortaſſe reſpicit ad Carybdim locũ faticoſum, in freto Siculo attrahẽtem naues & abſorbẽtem. De quo Homer. Odyſſ. 12. Cicero 2. Philipp. Antonium inſectans, Quæ, inquit, Carybdis tam uorax tot res tam cito abſorbere potuiſſet? Contento.) magno, acri & impẽſo. Curſu.) Perſtat in metaphora. Mem. digna uti.) Leui ex cauſa Manutius ſtellulã adiicit, cũ uirgulæ unius & coniunctionis Et adiectione, integram lectionem adferre potuerit, atque ita ſcribere, ut nos uerè ex omnibus libris & manuſcriptis & impreſſis ſcripſiſſe uides. Eſt tamen & alia lectio quæ nõ omnino diſplicet, Sed etiam memoriã dignam, & Reip. capeſſẽdæ, &c.

Diſciplinam.) rationẽ bene gerendæ Reip. quam πολιτικὴν Græci appellant. Ea autem eſt, quæ generalia quædam præcepta de ordinanda conſtituendáque ciuitate continet.

Sed tamen quoniam Tribunatus *quidem totus* P. Sextij *nihil aliud niſi meum nomen cauſamque ſuſtinuit, neceſſario mihi de iiſdem rebus eſſe arbitror, ſi non ſubtilius diſputandum, at certè dolentius deplorandũ. Qua in oratione, ſi aſperius in quoſdam homines inuehi uellem, quis non concederet, ut eos quorum ſceleris furore uiolatus eſ-*

ſem,

ſem, uocis libertate perſtringerem? Sed agam moderatè, & huic potius tempori ſeruiam, quàm dolori meo: ſi qui occultè à ſalute noſtra diſſentiunt, lateant: ſi qui fecerũt aliquid aliquando, atque iidem nunc tacent & quieſcunt, nos quoque ſimus obliti: ſi qui ſe efferunt inſolẽter & inſectantur, quoad ferri poterunt, perferemus: neque quenquam offendet oratio mea, niſi qui ſe ita obtulerit, ut in eũ non inuaſiſſe, ſed incurriſſe uideamur.

Suſtinuit.) Totus fuit in me defendendo, uti iam diximus ex orat. poſt red. in Sen. Subtiliter.) Subtiliter is diſputat, qui ui & copia argumẽtorum cauſam pertractat. Eſt & Ciceroni ſubtiliter dicere, Dire par le menu. lib. 2. Epiſt. ad Att. De Repub. inquit, quid ego tibi ſubtiliter? tota periit. Dolentius.) quòd is uir qui Rẽp. defenderit, à ſceleratis ciuibus oppugnetur, & in diſcrimẽ capitis uocetur. Scel. furore.) Al. ut eos quorũ ſcelere, furore, uiolatus eſſem.

Perſtringerem.) pungerem, uellicarẽ, aut ſaltem leuiter & ſtrictim attingerem: id enim eſt perſtringere. Cic. in Cat. Maio. Voluptas rationi inimica, mentis, ut ita dicam, perſtringit oculos. mallem præſtringit, hoc eſt obſcurũ animi iudicium, & ſenſum facit, mẽtem tollit. Hinc præſtigiæ uoluptatum, & præſtigiatores. Agam moder.) meo animo non obſequar, moderabor iracundiæ meæ, alioquin iuſtæ. Tempori.) cauſæ Sextij, ut quæ ad eam ſpectant, ea pertractem maximè. Lateant.) huic iudicio non adſint, ut ex aduerſo ſtent, ſui copiam in hoc iudicio non faciant. Id enim eſt latitare Iurecõſ. in L. Nõ uidetur. de Iudic. lib. 5. D. Et Cic. orat pro dom. Quare hoc ex Clodio ſcriptore legum tuarum, iube adeſſe. latitat omnino.

Si qui.) ut Vatinius teſtis in Sextium productus, à quo palàm oppugnabatur. epiſt. Sextius noſter abſolutus eſt. lib. 2. epiſt. ad Quint. frat. Non inuaſiſſe.) non eũ nos ultro laceſsiſſe, auctores nos iniuriarum non eſſe. Hoc uerbum uoluntatis eſt & conſilij, ut ſequens incurriſſe, fortunæ & euentus. Incurriſſe.) Al. incucurriſſe, ut ſit ductum ab iis, quos nobis obuios factos cubito fortè percutimus.

Sed neceſſe eſt,antequam de Tribunatu P.Sextij dicere incipiam,me totum ſuperioris anni naufragium exponere:in quo colligendo,ac reficienda ſalute communi, omnia reperientur P.Sextij dicta,facta, conſilia uerſata. Fuerat ille annus in Reip. magno metu & multorum timore tãquam intẽtus arcus in me unum,ſicut uulgo ignari rerum loquebantur:re quidem uera,in uniuerſam Remp.traductione ad plebem furibundi hominis ac perditi,mihi irati, ſed multò acriùs otij ac communis ſalutis inimici. Hũc uir clariſsimus mihi multis repugnantibus amiciſsimus Cn. Pompeius omni cautione,fœdere,execratione deuinxerat, nihil in Tribunatu contra me. At ille nefarius ex omnium ſcelerum colluuione natus,parum ſe fœdus uiolaturũ arbitratus, niſi ipſum cautorem alieni periculi ſuis propriis periculis terruiſſet.

Superior.an.) Annũ intelligit,qui expulſionem anteceſsit. C.Iulio Cæſare,M.Calphurnio Bibulo Coſs.quo anno traductus ad plebem fuit Clodius adoptione P.Fontei: cùm alioquin ad Tribunatum magiſtratum plebeium Clodius,qui è gente patricia eſſet, uix,ac ne uix quidem aſpirare potuiſſet.Orat.pro dom. Naufragium.)certã perniciẽ mihi & Reip.Paratã,Clodio plebeio facto.Metaphora eſt à mari,ubi fracta naui bona amittũtur: & naufragos in Catilinam uocat,fortunis exhauſtos.Verè ac propriè nautas facere naufragium dicimus. Colligen.reficien.)Perſtat in metaphora naufragij, quod certè colligi dicitur,cùm res diſiectæ & fluctibus expulſæ recuperãtur: ipſæ etiam naues uerè poſt naufragium reficiũtur.Hoc dicit,in recreanda confirmandáque ſalute communi, uniuerſum Sextij Tribunatum uerſatum fuiſſe. Fuerat ille an.) Corruptus omnino & mutilus hic locus in Ald.cod. Intentus arcus.) mihi ſoli periculũ impẽdere,de me ſolo agi illa ipſa Clodij ad plebem traductione, cùm id re uera ageretur,ut toti Reip.periculum procrearetur, & illa tra-

ductionis

ductionis lues in ipſius Reip. uiſcera conuerteretur. Furibundi hominis.) P. Clodij. Cic. 2. Philipp. Vt audacior quàm Catilina, furioſior quàm P. Clodius uiderere, ultro maledictis me laceſſiſti. Hinc furia Clodius ſæpe dicitur à Cic. orat. pro dom. Irati.) quod teſtimonium in eum dixiſſem de ſacris Bonæ Deæ ab eo pollutis. epiſt. Quaris ex me. lib. 1. Epiſt. ad Att. & Plu. in Cic. Communis otij.) epiſt. longa ad Lent. lib. 1. Epiſt. fam. Erat, inquit, hoc mihi dolendum, ſed multo magis, &c. Repugnant.) qui tum Clodio adhærebāt, in quibus Q. Arrium & Hortenſium fuiſſe coniicio ex epiſt. Mi frater, lib. 1. Epiſt. ad Q. frat. Amiciſ.) Cic. orat. pro dom. Quod enim par amicitiæ fuit unquam in hac ciuitate coniunctius, quàm fuimus inter nos ego & Cn. Pompeius? Cautione.) quadam ueluti promiſſoria lege, pactioné ue. Verbum eſt iurecōſ. apud quos is cauet, qui creditorem de debito ſecurum facit: & Paulo ea quæ fit inter cōtrahentes ſcriptura, cautio eſt. L. Illicitās. de offic. præſ. lib. 1. D. Ciceroni 4. Tuſcul. prudentia eſt in uitādis declinandisq; periculis. A malis, inquit, natura declinamus: quæ declinatio ſi cum ratione fiat, cautio appellatur. Execratione.) dira deuotione, deteſtatione, malo imprecamine, ſi quid contra cautionē, fidem, legémque promiſſoriam in meam perniciem moliretur. Notæ ſunt illæ execrationes Atheniēſium aduerſus Philippum: de quib. Liu. Decad. 4. lib. 1. Horum imprecaminum & execrationum locum tenent tritæ apud nos excommunicationes, & ἀναθήματα. Nihil facturū.) Cic epiſt. de Rep. quid ego tibi ſubtiliter? lib. 2. Epiſt. ad Att. & epiſt. Quas Numiſtio literas dedi. eod. lib. Colluuione nat.) cōcretus ex omniū ſcelere importunitate & flagitiorū impunitate, ut alibi dicit Cic. Colluuio, eſt aquarum ſordidarum confluxus. Propriis periculis.) ſeruo in Templo Caſtoris cum ſica deprehēſo ad interficiendum Pompeium, Orat. pro Mil. Vel cum Lollius quidam Clodij ſatelles Pompeium interficiendum depoſceret. Orat. pro dom. Niſi hæc referas ad acta belli Mithridatici, quod Pompeius extra ordinem ſumma cum laude geſſerat: Illius autem belli acta omnia reſciſſurum ſe eſſe Clodius minabatur, ſi laboranti Ciceroni Pompeius adeſſet. Plutar. in Pomp.

Hanc tetram immanémque belluam, uinctam auſpi-

ciis, alligatam more maiorum, conſtrictam legum ſacratarum catenis, ſoluit ſubitò legum cura Conſul, uel ut ego arbitror, exoratus: uel ut non nemo putaret mihi iratus, ignarus quidem certè & imprudens impendentium ſcelerum tantorum ac malorum, qui Tribunus pleb. fœlix in euertenda Rep. fuit nullis ſuis neruis: qui enim in eiuſmodi uita nerui eſſe potuerunt, hominis fraternis flagitiis, ſororis ſtupris, omni inaudita libidine infamis? Sed fuit profectò quædam illa Reip. fortuna fatalis, ut ille cæcus atque amens Tribunus pleb. nanciſceretur. quid dicam Cõſules? Hoccine ut ego appellem nomine, euerſores huius imperij? proditores ueſtræ dignitatis? hoſtes bonorum omnium? qui ad delendum Senatũ, affligendũ Equeſtrem ordinem, extinguenda iura atq; inſtituta maiorum, ſe illis faſcibus, cæteriſque inſignibus ſummo honoris atq; imperij ornatos eſſe arbitrabantur. Quorum per deos immortales, ſi nondum ſcelera, uulneráque inuſta Reip. uultis recordari, uultum atque inceſſum animis intueamini: facilius facta eorum occurrent mentibus ueſtris, ſi ora ipſa oculis ueſtris propoſueritis.

Tetr. bell.) P. Clodium. Tetrum, fœdum ac flagitioſum dicimus. Vnde & Orat. de prouinc. Conſ. Clodium, fœdiſſimum Tribunum pleb. dicit. Vinctam auſpic.) contra quæ à Fonteio adoptatus fuit Clodius, cùm eo die de cælo ſeruatum eſſet, id eſt, ſignum aliquod in cælo notatum, quo id fieri prohibebatur. Auſpiciis Remp. & imperium teneri, ait Cicero interrogat. Vati. Allig. more maior.) ut qui uiolaſſet ius adoptionis à maioribus inſtitutum, egregiéque retentũ: nempe ut qui adoptaret, eo qui adoptaretur, maior eſſet. At Clodius maior erat Fonteio. Orat. pro dom. Sacratarum.) in monte Sacro latarum de Tribunitia poteſtate, cùm populus in eum montem ſeceſſiſſet.

ſiſſet.Liu.lib.2.Decad.1 Flor.lib.2.Epit.Illis autem legibus cautum fuit,ne Patriciis Tribunatus deferretur. Id etiam docet M.Tull. ad fin.Orat.de prouinc.Conſ. Legum cura.) Rectè meo quidē iudicio hunc locum corruptū eſſe ſua uulgari ſtellula indicauit Manut.quod ſatis non fuit,ſed & ex Ciceronis lectione ſuæ integritati ſic reſtitui oportuit.Sic enim ſcribit Cic.epiſt.De geographia etiam atque etiam deliberabimus.lib.2.Epiſt.ad Att. Etſi,inquit,ut ſcribis, bilē id cōmouet,& latoribus & auſpicibus legis Curiatæ, ut per latores Cæſarem & Bibulum tum Conſules intelligat:per auſpices, Pompeium qui in adoptando Clodio augur fuit.epiſt.Maximis & miſerrimis rebus perturbatus.lib.8.Epiſt.ad Att.Et,Conſul,Cæſar eſt.Legendum igitur, Soluit ſubitò lege Curiata Conſul. Iratus.) uel ob interfectos,exterminatóſque coniuratos, uel (quod uerius eſt) quia legatus ei in Galliam proficiſcenti eſſe recuſaſſem.epiſt. Accepi aliquot epiſtolas tuas.& ſeq.lib.2.Epiſt.ad Att. Neruis.) uiribus,ſed imperio & auxilio Conſulari.Orat.in Piſ. In neruis ſitum eſt hominis robur.Vnde Cice.in Acad.incidere neruos eſt adimere uires.& Horat.decidere pennas,ſenſu haud omnino diſsimili. Frater.flagit.) ut qui ſæpe de opprimendo fratre Appio cogitarit. Sororis ſtup.) Clodiæ,quā non ſinit Clodius caſtam eſſe.Orat.pro dom.Vnde βοῶπις dicitur à Cic.epiſt.Subitò cùm mihi dixiſſet Cæcilius.lib.2.Epiſt.ad Att.quod eadem & ſoror & uxor eſſet. ead.orat.pro dom. Non ſecus ac Iuno, quæ βοῶπις ſæpe ab Homero dicitur, Iouis & ſoror & uxor fuit. Virgilius 1.Aeneid.

Aſt ego quæ diuûm incedo Regina,Iouiſque
Et ſoror & coniunx,&c.

Quid ſtuprum ab adulterio differat,docet Modeſtinus lib.48.D. ad leg.Iul.de adult. Fortuna fatal.) calamitas deorum uoluntate, cui reſiſti non poteſt,in hoc imperium tranſmiſſa.ſic Cicero Orat.pro Q.Lig.At mihi quidem,ſi proprium & uerum nomen noſtri mali quæramus, fatalis quædam calamitas incidiſſe uidetur. Cæcus.) furore.3.Tuſcul. in eadem, quis ſit amens explicatur. Conſules.) L.Piſonem Cæſonianum,& A.Gabinium,Orat.de prouinc.Conſ. Hos euerſores dicit, quòd adeſſent Clodio pernicioſas Reip.leges ferenti. Proditores.)quippe prouinciarum precio ſalutem Reip.Clo-

dio addixerant. Interrogat. Vat. in Piſ. & Orat. poſt red. in Sen. Sed fuerunt duo Conſules, quorum anguſtæ mentes, &c. Senatum.) ſummum populi Rom. populorúmque & gentium omnium ac Regum conſilium. Orat. pro dom. Equeſtrem ord.) ordini Senatorio dignitate proximũ. Orat. pro Cluent. & orat. antequã iret in exil.

Affligendum.) Orat. poſt red. in Sen. Cúmque adoleſcentes nobiliſsimi, cunctíque Equites, &c. aut fortaſſe hoc dicit propter Aelium Lamiam Equitem Rom. à Clodio nefarie amãdatum. ead. orat. & in Piſ. Summi Imperat.) Conſularis. Imperium Conſulare dicit Liu. lib. 8. Decad. 1. & poteſtatem Cõſularem poteſtati Regiæ parem facere uidetur. eod. lib. Tum ſilentio facto, inquit, præco Q. Fabium, magiſtrum Equitum, &c. Vultum.) qui imago eſt animi, ut indices oculi. Cic. 3. de Orat. ad Q. frat. Inceſſum.) qui ſi percitus ſit & uelox ſummam inconſtantiam ſanitate uacantem: ſi lĕtus nimium & ſegnis, at cum elata ceruice, faſtum arguit. Quem uoles, Conſulibus Piſoni & Gabinio attribuas. Inceſſum uerò Ser. lib. 1. Aeneid. nobilibus perſonis propriè tribuit.

Aſt ego quæ diuûm incedo Regina, &c.

Quid de natura cuiuſque ex inceſſu ſit cõijciendum, docet Adamantius Sophiſta, & ea quæ uulgò Ariſtoteli tribuuntur Phyſiognomonica.

Alter unguentis affluens, calamiſtrata coma, deſpiciens cõſcios ſtuprorũ ac ueteres uexatores ætatulæ ſuæ: Puteali, *& fœneratorum gregibus inflatus atque perculſus, olim ne* Scyllæo *illo æris alieni in freto ad columnam adhæreſceret, in* Tribunatus *portum perfugerat. contemnebat* Equites Ro. *minitabatur* Senatui, *uenditabat ſe operis: atq; ab iis ſe ereptũ, ne de ambitu cauſam diceret, prædicabat: ab iiſdem ſe etiam inuito* Senatu *prouinciam ſperare dicebat, eámque niſi adeptus eſſet, ſe incolumen nullo modo fore arbitrabatur.*

Alter.) A. Gabinium Conſulem deſcribit, luxu perditum & ære alieno grauiter oppreſſum. Affluens.) oblitus. Orat. poſt red. in Sen.

Sen. Calamiſtrata coma.) intorta & inflexa: unde & calamiſtratũ ſaltatorem Gabiniũ, Cicero appellat. ead. orat. Calamiſtro inflectuntur & contorquentur crines. Vexatores.) ſubagitatores ſuæ adoleſcentiæ, eos quibus florem ineuntis ætatis abutendum, depaſcẽdúmque præbuerat. Cic. Orat. poſt red. in Sen. de Gabinio loquens. Huius, inquit, primum tempus ætatis palam fuit ad omnes libidines diuulgatum. Puteali.) frequentia & multitudine litium, quas ei creditores mouebant, ut creditum reciperent. Puteal Modeſtino, id eſt, quo puteus operitur. D. de act. emp. & uend. Fuit & Puteal celebris mercatorum ac fœneratorũ ſedes in comitio, quibus prætorius dicebat, ut pro Tribunali ac ueteri quodam prætorum ſubſellio accipiendum exiſtimem. Horatius:

-forum Puteálque Libonis, Mandabo ſiccis.

Atque hoc genus iudicij à Græcis acceptũ arbitror. Athenienſibus enim iuri dicundo ſtatio quædam fuit, ſeu iudiciale forum, quod ἐν Φρέατι, hoc eſt, in puteo exerceri dicebatur. In eo cauſæ cædis inuoluntariæ, ex qua ἀπενιαυτισμὸς ſequebatur, tractabãtur. Cicero ipſe lib. 1. De diuinat. putealis originem deſcribit. Tarquinius autem dixit ſe cogitaſſe, &c. In antiquo exemplari Veneto, legitur putealis, pro obærato, qualis erat Gabinius. Inflatus.) tanquam aduerſo uẽto.

Perculſus.) al. compulſus. Olim ne Scyllæo illo.) A perículoſe nauigantibus ductum, hoc eſt, ne grandi ære alieno à ſe conflato, contractóque diutius arctaretur, cùm ſoluendo non eſſet. In mari Siculo duos eſſe periculoſos ſcopulos Scyllam & Carybdim nemo eſt qui non intelligat, ex 12. lib. Odyſſ. Homeri. Ac, ut ingenuè dicam quod ſentio, hic locus mihi ſemper ſuſpectus fuit, ut cum magno illo Turnebo, Græcarum literarum profeſſore Regio, legendum eſſe putẽ: Olim ne illatus æris alieni in freto ad columnam, &c. Quippe naues tempeſtatibus iactatas, in ſcopulos propriè inferri dicamus. Miſerè iactabatur ob æs alienum Gabinius, tanquam in periculoſo aliquo mari nauigaret. Quod Neſculeio Aldus legit: Alciatus uerò Herculeo, cap. ult. lib. 4. Parerg. non placet. Columnam.) Meniam, ſeu Menianam quæ in foro erat. Aſcon. 1. actione in Verr. In ea tabulæ proſcriptionis indices appendebantur. Iuriſconſultis placet eos dici ad columnam adhærere, qui à creditoribus oppreſſi ad eam columnam,

ut ſerui ad ſtatuas confugiebant: nam inde extrahi non poterãt. Vlp. in L. eũ qui. de priuileg. credit. lib. 42. D. Vt Columnarios homines, obæratos interpreter. Adhæreſceret.) ſic Cic. in Lucull. Ad quãcunque ſunt diſciplinam, quaſi tempeſtate delati, tanquam ad ſaxum adhæreſcunt. In Tribunatus portum.) Vult Cicero Gabiniũ propter æris alieni magnitudinem, quod contraxerat, non ſolùm ut olim ad principum columnas, ueluti perfugium quoddam aduerſus creditores, uerum etiam ad Clodij Tribunatum, in eiúſque fidẽ confugiſſe. Cic. Orat. de Aruſp. reſpon. Quam, ait, tam immane in Charybdim poetæ fingendo exprimere potuerunt, &c. Equites Rom.) mea cauſa abiectos ad illius pedes. ead. orat. Senatui minitabatur.) quòd mea cauſa ueſtem mutaſſet. Orat. pro dom. idémque omnes boni feciſſent. Orat. poſt red. in Sen. Operis.) mercenariis hominibus, conductis ad uim faciendam quodam Sedulio duce. Orat. pro dom. Operæ, pro operariis, ut ſeruitia pro ſeruis, auxilia pro auxiliariis ſæpe apud Ciceronem legas. Orat. pro L. Flac. operæ faceſſant, ſeruitia ſileant. De ambitu cauſam dice.) ne ambitus accuſaretur. Cauſam dicit, qui obiectis criminibus reſpondet: & qui per gratiã & ſordes ad Remp. acceſſiſſet, ambitus accuſabatur. Noſtro Budæo Aulicam factitare, ambire eſt & prenſare. De lege ambitus ſcribit Aſcon. Orat. in Mil & Iureconſ. lib. 48. D. Prouinciam.) Syriam, ex lege ea de re à Clodio lata. Orat. pro dom. & Orat. de prouinc. Conſ.

Incolumẽ nullo modo fore.) cùm alioqui ære alieno liberari non poſſet, & fœneratorum periculo eripi: qui omnem rem ſuam ſtrenue confeciſſet, ut ait Cic. Orat. poſt red. in Sen.

Alter ô dij boni, quàm teter incedebat, quàm truculentus, quàm terribilis aſpectu: unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperij ueteris, imaginem antiquitatis, columẽ Reip. diceres intueri: ueſtitus aſper hac purpura plebeia ac penè fuſca, capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipſe tum imaginis formandæ cauſa Duumuiratũ gerebat, Seplaſiam ſublaturus uideretur. Nam quid ego de ſupercilio dicam? quod tum hominibus non ſupercilium, ſed pi-

gnus Reipub.*uidebatur: tanta erat grauitas in oculo, tãta frontis contractio, ut illo ſupercilio* Reſp.*tanquam* Atlante *cælum niti uideretur.* Erat *denique hic omnium ſermo: eſt tamen* Reip.*magnum firmúmque ſubſidium.* Habeo *quem opponam labi illi atque cæno : uultu medius fidius collegæ ſui libidinem, lenitatémque franget.* Habebit Senatus *in hunc annum quem ſequatur: nõ deerit auctor & dux bonis: mihi denique homines præcipuè gratulabãtur, quòd habiturus eſſem cõtra* Tribunum *pleb. furioſum & audacem, cùm amicum & affinem, tum etiam fortem & grauem* Conſulem.

Alter.) L. Piſonem Cæſonianum alterũ Conſulem ſignificat, qui exteriore cultu & moribus ſeuerus eſſet, interiore uita impuriſſimus.) Barbatis illis.) ueteribus Rom. At tempore Ciceronis iam delicatiore, barba tondebatur. ſic Orat. pro Cæl. & 2. Catil. Exemplum imperij ueteris.) fortem & grauem. Imaginẽ antiquit.) ſimulachrum aliquod & expreſſam quãdam effigiem antiquæ ſeueritatis & conſtantiæ. Columen.) præſidium, ſuſtẽtationem. Culmen & Columen dicimus ædiũ ſummitatem, ſeu tranſuerſum illud lignum, cui tectũ ſuperponitur, atque adeò innititur: ab hoc ſumpta metaphora, ut & apud Terent. in Phor. actus. 2. ſce. 1. Columen familiæ. Et actionis columen Orat. pro Flac. Purpura.) Nizolius legit, noſtra hac purpura plebeia: quòd plurimus eſſet uſus purpuræ apud Rom. illius tamen uſu fœminis interdicto. Liu. lib. 4. decad. 4. Ex cõchyliorum ſanie fit. Ea autem qua utebatur Piſo, uilis erat & plebeia, miniméque pretioſa. unde ſequitur: Fuſca, hoc eſt, ſubnigra. Fuſcus color ſubniger eſt & liuidus. Imaginis formãdæ.) al. ornãdæ, id eſt, tituli alicuius, nobilitatiſq; cõparãdæ : quippe cũ auus maternus Piſonis Inſuber quid.i fuerit, præco, & mercator contemptiſſimus. Aſcon Orat. in L. Piſ. & Cic. Orat. poſt red. in Sen. Duumuiratum.) Iurecõſ. magiſtratus municipalis nomine, Duumuiros ferè ſemper intelligunt. L. 1. §. ſi inter magiſtratus. De magiſtratib. cone-

niend.lib.27.D. & L.dies cautioni. de dam.infect.lib.39. D. quòd Duumuiratus in Municipiis & Coloniis ſummus eſſet magiſtratus, idémque omnino poſſet Duumuir in municipio, quod Romæ Conſul. Dictos autem puto, non unde putauit Accurſ. quòd duorum tantùm ſuffragio eligerentur. Sed quia ex Decurionum ordine, duo aſſumerentur, penes quos rerum ſumma eſſet. Sic enim & Triumuiros, & Quartumuiros, & Decemuiros à numero dicimus. Id uerum eſſe facile quis intelligat ex reſponſo Papin. in L.Licet tãtùm prætor. §.ult. De pecul.lib.15.D. ad quod tamen interpretes parum aduertunt.

Seplaſiam.) uicum Capuæ, in qua unguentarij negotiabantur. Aſcon.Orat.in L.Piſ.Valer.Max.lib.9.cap.1. Aegrè Piſonẽ Capuani unguentarij uiderunt, qui ſua grauitate ſeueritatéque omnium unguentorum uſum ſublaturus uideretur. Lampridius in Heliogabalo, Seplaſiarium dixit pro molli & effœminato. Pignus.) certa quædam fides & ſponſio bene gerendæ Reip. Cautius pignore creditori cauetur de recuperando debito. Ureconſ.lib.20.D. atque ea puto eſſe Græcis ἐνέχυρα, quæ Ciceroni pignora, hoc eſt, quædam ueluti fidei retinacula. epiſt. Epiſtolam meam quod peruulgatam. lib.8. Epiſt.ad Att. Tanquam Atlante.) Hoc de Piſone admodum ridiculè dicit. Atlãtis regis Mauritaniæ nota hiſtoria, aut fabula potius. Atq; hic locus me miſerè exercuit lectionum uarietate. Nam in pleriſque codicibus ſcriptum reperias, ut illo ſupercilio tanquam Rhadamãtus ille niti uideretur: quam lectionem doctiſſ. uir Nizolius ſecutus eſt. In aliis hoc modo, ut illo ſupercilio Aumãtius ille niti tanquam uideretur, ex qua lectione nullus iuſtus ſenſus elici poteſt. Ego hanc ſemper probaui, ut illo ſupercilio annus ille tãquã niti uideretur: hoc eſt, ut ille annus Cõſulatus Piſonis ex ipſius mira grauitate totus pẽdere uideretur, polliceretúrque Reip. læta omnia ac fœlicia. Eſt tamen.) al. eſt tandem. Habeo.) dicebat ciuium aliquis: Habeo, inquam, Piſonem, & fortem, & grauem Conſulem. Labi ac cœno.) Gabinio, turpi & contaminato. Orat.pro dom. In hunc annum.) Galli dicunt, En ceſte annee. alibi Cic. Hoc anno. Tribunum.) P. Clodium. Affinem.) quòd Ciceronis filia Tulliola uni ex Piſonũ familia, nempe Cn.Piſoni frugi χρησίμῳ. 3.Tuſcul. & Orat.pro M. Font. nupta fuerat. Orat.poſt red.ad Quirit. & epiſt.2.lib.1. Epiſt.

ad

ad Att. Grauem & fortem.) hoc eſt(interprete Cicerone Orat. in Piſ.) Qui animo Conſul eſſet futurus, fide, grauitate, uigilantia, cura, toto denique munere.

Atque eorum alter feſellit neminem: quis enim clauum tanti imperij tenere, & gubernacula Reip. *tractare in maximo curſu, ac fluctibus poſſe arbitraretur hominē emerſum ſubitò ex diuturnis tenebris luſtrorum ac ſtuprorum, uino, gaudiis, lenociniis, adulteriiſque cōfectū? cùm is præter ſpem in altiſsimo gradu alienis opibus poſitus eſſet, qui non modò tempeſtatem intueri impendentem temulētus, ſed ne lucem quidem inſolitam aſpicere poſſet.* Alter *multos planè in omnes partes feſellit: erat enim hominum opinioni nobilitate ipſa blanda conciliatricula commendatus.* Omnes *boni ſemper nobilitati fauemus, & quia utile eſt* Reip. *nobiles homines eſſe dignos maioribus ſuis, & quia ualet apud nos clarorum hominum, & bene de* Rep. *meritorum memoria, etiam mortuorum: quia eum triſtem ſemper, quia taciturnum, quia ſubhorridum, quia incultum uidebant, & quod erat eo nomine, ut ingenerata familiæ frugalitas uideretur, fauebant, gaudebant, & ad integritatem maiorum ſuorum ſpe ſua hominem uocabāt, materni generis obliti.*

Atque eorum.) Ambo Cōſules Piſonem & Gabinium inter ſe confert. Feſellit nem.) cùm ipſe nunquam ſe minus, quàm erat, nequam eſſe ſimularet. Orat. de prouinc. Conſul. Clauum tenere.) Conſulatum gerere, penes quem ſalus populi erat. Cic. 2. legum. Notanda in clauo & gubernaculis metaphora, Ciceroni familiaris.

Curſu & fluct.) ſæuiente graſſanteq; Clodiana ſeditione, qua tum miſerè iactabatur Reſp. Luſtrorum.) Orat poſt red. in Sen. Lenociniis.) Anteà me meminiſſe puto ex ead. orat. A. Gabiniū egeſtatem ſuam, ac luxuriam domeſtico Lenocinio ſuſtentaſſe. Al-

tiſſimo gradu.) ſumma Cõſulatus dignitate. Honorum finis Conſulatus fuit, ait Cic. Orat. pro Cn. Plan. Alienis opibus.) præſidiis, maximè uerò Pompeij commendatione, cui in Tribunatu rogatione lata Gabinius bellum piraticum decreuerat. Plutar. in Pomp. etiam repugnãte collega L. Trebellio, ut de cauſa fortis dicatur à Cicerone Orat. pro leg. Manil. Aſcon. Orat. pro Cornel. de maieſt. Inſolitã lucem.) interdiu enim ſtertebat, ut crapulam edormiret, noctu ſe ingurgitabat: adeò ut neque ſolem orientem neque occidentem uideret. Alter.) L. Piſo. Fefellit.) triſtitia uultúque decepit. Orat. de prouinc. Conſ. Opinioni) in antiq. Cod. opinione legas. Nobilitate.) quòd ex gente Calphurnia originem traxiſſet, quæ ob ſummam continẽtiam frugi appellata eſt. Cic. 3. Tuſcul. Cõciliatricula.) quòd, ut ait Cic. 2. offic. uehementer amor multitudinis commoueatur opinione uirtutum, eóſque in quibus eas ineſſe uidemus, à natura ipſa diligere cogamur. Conciliatrices autem, & honeſtorum & turpium amorum interpretes, & quaſi nuptiarum interuẽtrices dicimus: προξενήτριαι Græcis: ut proxeneta iureconſ. lib. 50. D. licitator eſt, & quaſi cõciliator hominum inter ſe ſtipulantium & ſpondentium: & οἱ προξενοῦντες emptionum & uenditionum conciliatores. Nobilitati faue.) quæ habeat acres ad uirtutem impetus, & quam ſua uirtute Reip. profuturam ſperamus. Dignos maioribus ſuis.) ſuorum conteſtatæ uirtuti, & gloriæ reſpõdere: cui dedecori eſſe, & nefas, & uitium iudicandum eſt, ait Cic. 1. offic. Certè natalium ſplendor non mediocre calcar eſt ad uirtutem. Saluſt. in Iugurth. Sæpe audiui Q. Maximum, P. Scipionem, &c. At neſcio quo fato accidit, ut de immerito poſſe dici uideatur, quod ſcribit Homerus:

παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται·
οἱ πλείονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

Et bene.) al. & ſenex de Rep. meritorum: quod non ita placet. Etiam mortuorum.) qui per gloriam uiuere intelliguntur, ait Iuſtin. lib. 1. Inſtitut. tit. de excuſat. Tut. & Cic. Orat. pro Mil. Nomine.) cognomine, quippe frugi diceretur. Frugalitas.) modeſtia, continentia. Orat. pro Deiot. Cæterũ frugalitatis uidetur eſſe propriũ motus animi appetentis regere & ſedare, ſempérque aduerſantem libidini moderatam in omni re ſeruare conſtantiam. Cic. 3. Tuſculan.

Maiorum.)

Maiorum.) Piſonum, de quibus ſic Cic. in eadem Tuſcul. Niſi tanta eſſet frugalitas, nunquam eſſet Piſonis cognomen tãtopere laudatum. Spe ſua.) expectatione quam omnes de eo conceperãt, fore, ut is quoque frugi eſſet, quam expectationẽ Piſo tueri ac ſuſtinere debuit. Materni generis.) aui materni, uti anteà diximus, ex Orat. in L. Piſo. & poſt red. in Sen.

Ego *autem (uere hoc dicam* Iud.) *tantum eſſe in homine ſceleris, audaciæ, crudelitatis, quantum ipſe cum* Rep. *ſenſi, nunquam putaui.* Nequam *eſſe hominem & leuem, falſa opinione, errore hominum ab adoleſcentia commendatum ſciebam: etenim animus eius uultu, flagitia parietibus tegebantur.* Sed *hæc obſtructio nec diuturna eſt, nec obducta ita, ut curioſis oculis perſpici non poſsit.* Videbamus *genus uitæ, deſidiam, inertiam, incluſas eius libidines, qui paulò propius acceſſerãt, intuebantur.* Denique *etiam ſermonis anſas dabat, quibus reconditos eius ſenſus tenere poſſemus.* Laudabat *homo doctus philoſophos neſcio quos, neque eorum tamen nomina poterat dicere: ſed eos tamen laudabat maximè, qui dicũtur præter cæteros eſſe auctores & laudatores uoluptatis: cuius, & quo tempore, & quomodo, nõ quærebat: uerbũ ipſum omnibus modis, animi & corporis, deuorabat: eoſdémque præclare dicere aiebat,* Sapientes *omnia ſua cauſa facere,* Remp. *capeſſere hominem bene ſanum non oportere, nihil eſſe præſtabilius otioſa uita, & plena, & cõferta uoluptatibus.* Eos *autem qui dicerent dignitati eſſe ſeruiendum,* Reip. *conſulendũ, officij rationem in omni uita, non commodi eſſe ducẽdam, ſubeũda pro patria pericula, uulnera excipienda, mortem oppetendam, uaticinari atque inſanire dicebat.*

Vere hoc dicam.) Codex Venetus legit ſine parentheſi: ego autem uere dicam Iud. Senſi.) cum illius ſcelera exploratoribus oculis præter cæteros cernerem. Putaui.) cum falſæ omniũ penè ciuium opinioni ac ſpei de illo conceptæ me accommodaſſem. Vultu.) Verum illud eſt Ciceronis epiſt. illa long. lib. 1. Epiſt. Q. Frat. Multis ſimulationum inuolucris tegitur, & quaſi uelis quibuſdam obtenditur cuiuſque natura, frons, oculi, uultus perſæpe mentiuntur. Obſtructio.) uelamen, inuolucrum, integumentum. Incluſas libid.) quas fronte & ſupercilio, non pudore ac temperantia contegeret. Orat. de prouinc. Conſul. Sermonis anſas.) ex obſcœno ſermone aliquã ſuæ nefariæ uitæ ſignificationem dabat. Orat. in Piſ. Quoſdam turpes ſermones inferebat, ex quibus ſceleratam hominis mentem & ſenſum teneremus. Ad uaſorum anſas reſpicit. Nec uerò prætereundum eſt quod ſcribit Cic. 5. Tuſculan. Socratem ſic ſolitum diſſerere: Qualis cuiuſque animi affectus eſſet, talem eſſe hominem: qualis autem homo ipſe eſſet, talem eius eſſe orationem. Orationi autem facta ſimilia, factis uitam. Doctus.) Ironice dictum eſt.

Neſcio quos.) non ignorantis eſt, ſed reijcientis, ſpernentiſque.

Philoſophos.) Epicureos, quorũ ſe diſciplinæ tradiderat, & quibus magiſtris optimis ad uoluptates utebatur. Orat. in L. Piſ. Epicuri omnes res, quæ ſunt homini expetẽdæ, uoluptate metiebantur. eadem Orat. in Piſ. & 5. Tuſcul. At flagitioſum iſtud eſt, cùm maiores animi partes à uirtute detorqueant. lib. 2. Offic. Cuius.) Voluptatum nullum diſcrimen Piſo faciebat, quaſuis amplectebatur. Quo tẽpore.) quippe nullũ temporis punctum nefariæ libidinis peccato præterire pateretur. Quo modo.) Neque enim uoluptati ſine modo indulgẽdum, ut fortaſſe ſapienter Lycurgus uetuerit ſponſum unà cum ſponſa perpetuo ſimul dormire, ne ſi ſine modo & ad ſatietatẽ congreſſu uterẽtur, corporibus eſſent inualidiores. Verbum ipſum.) uoluptatis ſcilicet. Mod. omnibus deuorabat.) prorſus animo & corpore amplectebatur. Deuorabat autem elegãter dixit, tractũmq; eſt ex more hominum famelicorum, qui qualiſcunq; cibus apponatur, nullo habito delectu uoraciſſime edunt. Alia in ſignificatione dixit Plautus in Trinum. Act. 4. Char. Quod eſt ei nomẽ? Sy. Quod ædepol homini probo? Char. lubet Audire. Syr. Deuoraui nomẽ imprudens

prudens modo.id eſt,repentè mihi excidit nominis memoria. Omnia ſua cauſa facere.) ſolum ſe iuuare,ſeque reſpicere. Cic.in quadam epiſt.ad Trebatium ſecta Epicureæ hominē ac iureconſ.lib.7. Epiſt.fam.ſic ſcribit,Indicauit mihi Panſa meus Epicureum te eſſe factum:ò caſtra præclara.Sed quonam modo ius ciuile defendes, cū omnia tua cauſa facias,non ciuium? Remp.capeſſere.) uide epiſt. E Pōpeiano naui aduectus ſum.lib.14.Epiſt.ad Att. & epiſt. Mirabar quid eſſet.lib.7.Epiſt.fam. Bene ſanum non oport.) quòd in Reip.adminiſtratione multæ ſint deuorandæ moleſtiæ,ſubeundæ multorum ſimultates:ut grauiſſimè dixerit Demoſthenes,ſe,ſi poſſet uitam ſuam retexere,malle ad uoluntarium exitum ruere,quàm ad Remp.accedere,quamuis certo ſciret ſe omnia,quæ ampliſſima eſſent in Rep. conſecuturum. Otioſa uita.) inerti,deſidioſa. Quam probet otioſam uitam Cicero,poſtea dicemus. Ac certè uerum illud eſt quod ſcribit Iuſtin.noſter nouell. conſtitut.133. mentem inerti otio deditam haudquaquam ſanè quicquam bonorum parere. Dignitati.) nominis ſplendori: quem ingenuus quiſque ac liberaliter educatus quauis poſſeſſione antiquiorem habet.lib.1.De diuinat. Reipub.Conſul.) ut ea ſalua ſit. Brutus ad Ciceronem.lib.11.Epiſt. fam. epiſt.Nos hic ualemus rectè. Officij.) rectè facti,honeſtatis. Neq; enim ulla uitæ pars officio uacare debet,ut ſcribit Cicer.lib.1.Offic. Commodi.) noſtræ ſolius utilitatis. At grauiter Cic.ſcribit.Interrogat.Vat.Omnia quæ à nobis geruntur,non ad noſtram utilitatē & commodum,ſed ad patriæ ſalutem conferri debere. Mortem oppetendā.) Cic.Philipp.14.ò fortunata mors,inquit,quæ naturæ debita, pro patria potiſſimū eſt reddita. Vaticinari.) deſipere,furere more uatū.Furor uatis Sibyllæ à Virg.6.Aeneid.deſcribitur hoc carmine:

Ante fores ſubitò non uultus non color unus,
Non comptæ manſere comæ,ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument.

Sic etiam loquitur Cicero epiſt. Magno dolore me affeciſſent. lib.2.Epiſt.famil.

Ex iis *aſſiduis eius,quotidianiſq; ſermonibus,& quod uidebam,quibus cum hominibus in interiore ędium parte uiueret: & quòd ita domus ipſa fumabat, ut multa eius*

ſermonis indicia redoleret, ſtatuebam ſic, boni nihil ab illius nugis eſſe expectãdum, mali quidem certè nihil pertimeſcendum. Sed ita eſt Iud. *ut ſi gladium paruo puero, aut ſi imbecillo ſeni, aut debili dederis, ipſe impetu ſuo nemini noceat: ſin ad nudum uel fortiſſimi uiri corpus acceſſerit, poſſit acie ipſa uel ferri uiribus uulnerare: ita cum hominibus eneruatis, atque exanguibus* Conſulatus *tanquam gladius eſſet datus, qui per ſe pungere neminem unquam potuiſſent: hi ſummi imperij nomine ornati,* Remp. *trucidarunt: fœdus fecerunt cum* Tribuno *pleb. palàm, ut ab eo prouincias acciperent, quas ipſi uellẽt, exercitum & pecuniam quantam uellent, ea lege, ſi ipſi prius* Trib. *pleb. afflictam* Remp. *tradidiſſent, id autem fœdus meo ſanguine ſanciri poſſe dicebant.* Q*ua re patefacta (neque enim diſſimulari tantum ſcelus poterat nec latere) promulgãtur uno eodémque tempore rogationes ab eodem* Tribuno *de mea pernicie, & de prouinciis nominatim* Conſularibus. Hic *tum* Senatus *ſollicitus, uos* Equites *excitati,* Italia *cũcta permota, omnes denique omnium generum atque ordinum ciues ſummæ* Reip. *à* Coſſ. *atque à ſummo imperio petẽdum eſſe auxilium arbitrabantur, cùm illi ſoli eſſent, præter furioſum illum* Tribunum, *duo* Reip. *turbines, qui non modò præcipitanti patriæ non ſubuenirent, ſed etiam nimium tardè concidere mœrerent.*

Interiore ædium parte.) in ipſis ædium ſuarum penetralibus.

Fumabat.) is nidor exhalabat, ut ex eo facilè ſubolfaceremus luxurioſam, uoluptariámque hominis uitam. Illius nugis.) al. illis nugis, ab homine deſidioſo & inerti, quiq́ue nihil ex ſe poſſet, uoluptatibus elangueret. Gladium paruo puero.) prouerb. Ne puero gladium:

dium: & Impetu ſuo dixit, hoc eſt, ſuis uiribus: & Acie, id eſt, acumine. Vel.) non diſtinguit, ſed affirmat, hoc eſt, ipſa ſola ui ferri, & ipſius ad corpus applicatione. Eneruatus.) ob impuriſſimas libidines. Orat. pro dom. & Orat. in L. Piſ. diſertè ait Piſonem intemperatiſſimis perpotationibus exanguem eſſe. Tanquam glad.) Gladium habet magiſtratus, quo ſceleratos coerceat, & tranquillitati publicæ cõſulat. Cæterũ ad hunc locũ pertinere crediderim, quod ſcribit quodã loco Iamblichus : ὁμοίως ἐστὶ σφαλὲς μαινομένῳ δοῦναι μάχαιραν, καὶ μοχθηρῷ δύναμιν : hoc eſt, perinde eſt periculoſum inſanienti gladium, ac improbo uiro magiſtratum committere. Vellem Remp. Chriſtianam hoc ſuo magno malo non experiri. Summi imperij.) Conſularis, de quo iam diximus. Prouincias.) Conſulares, de quibus ex Senatuſconſulto ad populũ ferri oporteret. Orat. de prouinc. Conſul. ut id non ex ſola Tribuni pleb. libidine penderet. Exercitum.) epiſt. Et ſi diligenter ad me. lib. 3. Epiſt. ad Att. & epiſt. 1. lib. 14. Epiſt. famil. ubi fortaſſe Piſo non Iſpo legendum, niſi (ut quidam monuerunt) conuerſis literis, idem Piſo per notam ſignificetur. Pecuniam.) ex ærario. Orat. de prouinc. Conſ. & Orat. pro dom. Illud ferè omiſeram, eos qui ad uniuerſas prouincias regendas mittebãtur, imperatoribus magis, quàm magiſtratibus ſimiles fuiſſe, ut qui exercitum haberent, & iure ac poteſtate gladij uterentur. Paul. iurecõſ. in L. 6. §. ſicuti. De offic. præſ. lib. 1. D. Hinc prouinciales poteſtates potius quàm magiſtratus appellati. Obiter iſtud moneo, quòd uulgus interpretum Iuris ciuilis in eo, ut in aliis pleriſque hallucinetur ignorantia ueteris memoriæ, maximè populi Rom. Meo ſanguine.) me occiſo, aut ſaltem in exilio acto. Orat. poſt red. ad Quirit. Cum omniũ prouinciarũ pactiones, cùm omnia cum omnibus fœdera, &c. Rogationes.) ut mihi ob ciues indamnatos aqua & igni interdiceretur. Orat. pro dom. Rogationes appello plebiſcita, leges. Alciat. in L. Derogatur legi. De uerb. ſignific. D. Prouinc. Conſ.) ut Syria Gabinio, Macedonia Piſoni daretur utrique infinitũ imperium. Orat. pro dom. Quæ eſſent Conſulares prouinciæ, quæ prætoriæ. Sollicitus.) cùm omnia in Rep. agi per uim ac tumultũ uideret, neque in diſcrimen uocari, iis prouinciarum pactionibus. Vos Equites.) quibus etiam Ciceronis ſalus chara eſſet, ut qui Equeſtri loco eſſet natus.

Orat.1.in Rull.& epi. Magna mihi uarietas uoluntatis.lib.1.Epiſt. ad Att. Ital.permota.) Eam Cicero.Orat.in L.Piſ.ait,totā quaſi ſigno dato conueniſſe,ſui capitis ſeruandi cauſa. Omnium gene.) ead. Orat.in Piſ. & Orat.pro dom. Summæ reip.) afflictæ, & in extremum ferè diſcrimen adductæ:Sic Cic.epiſt. Liberalibus literas tuas accepi.lib.12.Epiſt.fam. Summum.) pro maximo imperio dixit, & quo nullum eſt maius.ita ſæpe ad Iuriſcon.Summa diuiſio,id eſt,prima & præcipua:quia nec ulla ſit ſuperior, nec altius repeti poßit. Illi.) Conſules,Piſo & Gabinius. Turbines.) procellæ,tēpeſtates : proditores antea dixit, & euerſores imperij. Turbinē Ser. lib.1.Aeneid.uolubilitatem uentorum interpretatur·quem ab impetu τυφῶνα Græci appellant.Plinius uerticem. Mœrerent.) quaſi ea ſtante ſalui & incolumes eſſe non poſſent.

Flagitabatur ab his quotidie cum querelis bonorum omnium, tum etiam precibus Senatus, *ut meā cauſam ſuſciperent, agerent aliquid, denique ad* Senatum *referrent. hi non modo negando, ſed etiam irridendo ampliſsimum quenque illius ordinis inſequebantur.* Hic *ſubitò cum incredibilis in* Capitolium *multitudo ex tota urbe cunctáq;* Italia *conueniſset, ueſtem mutandam omnes, neque omni etiam ratione priuato conſilio (quoniam publicis ducibus* Reſp. *careret) defendendam putauerunt.* Erat *eodem tempore* Senatus *in æde concordiæ : quòd ipſum templum repræſentabat memoriā* Conſulatus *mei:cùm flens uniuerſus ordo* Cincinnatum Conſulem *orabat.* Nam *alter ille horridus & ſeuerus conſultò ſe domi continebat.* Qua *tum ſuperbia cœnum illud, ac labes ampliſsimi ordinis preces, & clariſsimorum ciuium lachrymas repudiauit? meipſum, ut cōtempſit helluo patriæ: nam quid ego patrimonij dicam? quod ille cùm quaſi quæſtū faceret, amiſit.* Vos, *inquam,* Equites Rom. *& omnes boni ueſte mutata : uos,*

inquam,

inquam, pro meo capite ad pedes lenonis impuriſſimi proieciſtis, cũ ueſtris precibus à latrone illo repudiati eſtis.

Ad Senatum referrẽt.) ſententiam Senatus de mea & Reip. ſalute exquirerent: uulgus Grammaticorum, in conſultationem ponerent. Alter Conſulum ad Senatum referebat, niſi lata lege prætor id faceret. Liu. lib. 8. Decad. 4. Irridendo.) Orat. poſt red. in Sen. Et cum uos ueſtem mutandam cenſuiſſetis, &c. Inſequebantur.) illudebant, conuiciis, probris conſectabantur. Inſequi aliqua contumelia, dicit Cicero: ut & inſequi alicuius uitam, quam ut nefariã damnamus. Orat. prò Syll. Hìc.) in tanto motu Reip. tanta omniũ ordinum contemptione, contumelia & illuſione tanta. In Capitol.) Orat. poſt red. in Sen. Idémque poſtea cum innumerabilis multitudo bonorum, &c. Veſtem mutandam.) dolorem ſuum ueſtis mutatione declararunt. Orat. in L. Piſ. & ead. ad Sen. Orat. Publicis Ducibus.) Conſulibus, qui meam & Reip. ſalutem prouinciarum fœdere Tribuno pleb. furioſo homini addixerant: tantum abeſt ut defenderent. In æde.) Senatus non niſi in loco augurato haberi poterat, inquit Ser. enarrans illud Virg. 7. Aeneid.

- hoc illis curia templum.

Ideóque Veſtæ templum augurio conſecratum non fuit, ne Senatus & multitudo illuc cõueniret, ubi uirgines eſſent. Ful. Sab. lib. 4. antiq. Vrb. Cõcordiæ.) In cliuo Capitolino Concordiæ templũ fuit: alterius uerò à Cn. Flauio Scriba dedicati in area Vulcani meminit Liu. lib. 10. Decad. 1. Memoriam Conſul.) quippe in eo Senatũ habuerim, cùm ad eum de coniuratis referrem. Cincinnatum Conſ.) Cincinnatum ganeonem Gabinium appellat. Orat. poſt red. in Sen. Quem etiã à calamiſtrata coma depinxit. Nam & cincinni, capilli calamiſtrati dicũtur. Cic. Orat. in L. Piſ. Erant illi compti capilli, & madentes cincinniorum fimbriæ. Domi continebat.) ne ſibi obſtrepentes pro Ciceronis ſalute Senatus audiret. Piſonem intelligit. Cœnum illud.) Piſô. Orat. in Piſ. Meminiſti ne cœnũ, &c. Ampliſſimi ord.) Senatorij. Helluô.) uorator, gurges. Orat. poſt red. in Sen. Cùm uerò literas ſtudere incipit, &c. Quæſtum faceret.) ætatem proſtitueret, eámque ad omnes libidines diuulgaret. Terent. In

And. D'in quæſtum facere occipit. Amiſit.) & ſtrenuè confecit. Orat.poſt red.in Sen. Veſte mutata.) Cic.Orat.poſt red. ad Quirit. Ait uiginti hominum millia ueſtem mutaſſe. Ad pedes.) Orat. poſt red.in Sen.cumque adoleſcentes nobiliſsimi cunctique Equites Rom.&c. Latrone.)Gabinio.Orat.poſt red.in Sen.Egeſtatem & luxuriam domeſtico latrocinio ſuſtentauit,&c.

*Vir incredibili fide,magnitudine animi,conſtantia,*L. Ninnius *ad* Senatum *de* Rep.*retulit:Senatúſque frequens ueſtem pro mea ſalute mutandam cenſuit. ô diem illum* Iud.*funeſtũ* Senatui,*boniſque omnibus,*Reip.*luctuoſum, mihi ad domeſticũ mœrorem grauem, ad poſteritatis memoriam glorioſum. Quid enim quiſquam poteſt ex omni memoria ſumere illuſtrius,quàm pro me uno ciue, & bonos omnes priuato conſenſu & uniuerſum* Senatum *publico conſilio mutaſſe ueſtem? quæ quidẽ tum mutatio non deprecationis cauſa eſt facta,ſed luctus: quem enim deprecarentur,cùm omnes eſſent ſordidati,cúmque hoc ſatis eſſet ſigni eſſe improbum, qui ueſte mutata non eſſet?* Hac *mutatione facta ueſtis,tãto in luctu ciuitatis, omitto quid ille* Tribunus *omnium rerum diuinarum, humanarumq; prædo fecerit: qui adeſſe nobiliſsimos adoleſcentes, honeſtiſsimos* Equites *deprecatores ſalutis meæ iuſſerit, eóſque operarum ſuarum gladiis & lapidibus obiecerit: de* Conſulibus *loquor,q uorum fide*Reſp.*niti debuit,exanimatus euolat ex* Senatu,*nõ minus perturbato animo atque uultu,quàm ſi annis ante paucis in creditorum conuẽtum incidiſſet: aduocat concionem,habet orationem talem* Conſul,*qualem nunquã* Catilina *uictor habuiſſet.* Errare *homines,ſi etiam tum* Senatum *aliquid in* Rep. *poſſe arbitrarentur.*

trarētur. Equites uerò Rom. daturos illius diei pœnas, quo me Conſule cum gladiis in cliuo Capitolino fuiſſent, cōiuratos uidelicet dicebat, ulciſcendi ſe. Si dixiſſet hoc ſolum, omni ſupplicio eſſet dignus: nam oratio ipſa Conſulis pernicioſa poteſt Remp. labefactare. quid fecerit, uidete.

Incredibili fide.) qui perculſæ & afflictæ Reip. ſemper adeſſet, eam defenderet. Magnitudine animi.) fortiſſimus atque optimus. Orat. poſt red. in Sen. L. Ninnius.) ita ego reponendum putaui ex Dion. lib. 38. apud quem legas Λούκιον Νίννιον Κουάδρατον*, ut mēdoſe in omnibus codicibus Mummius legatur, & epiſt. Ad V. Cal. Decemb. lib. 3. Epiſt. ad Att. Retulit.) Calend. Iannar. tum Tribun. pleb. Orat. pro dom. & poſt red. in Sen. Retulerat autem cōtra legem Clodiā de Ciceronis pernicie latam: ut ſcribit Cic. epiſt. Accepi idib. Sextilib. quatuor epiſtolas. lib. 3. Epiſt. ad Att. Diem illum.) quo miſerè ſum eiectus ui Tribunitia, non accuſatus aut citatus. Orat. pro dom. Ad domeſticū mœror.) cùm à meis diſtraherer. Ad poſteritatis memoriā.) Nam etſi optabilius ſit curſum uitæ conficere ſine dolore & ſine iniuria, tamen ad immortalitatem gloriæ plus adfert deſideratum eſſe à ſuis ciuibus, quàm omnino nunquam eſſe uiolatum. Orat. pro dom. Sed & hoc ipſum explanat: nā ſequitur, Quid enim quiſquam poteſt ex omni memoria, &c. Me uno ciue.) facium iam ad urbis incendium accenſarum extinctore. Orat. in L. Piſ. iſtud enim emphaſim habet, me uno ciue. Improbum.) adeò ut qui me non defenderet, flagitiū is ſe committere iudicaret. Orat. poſt red. in Sen. Luctu.) Galli luctum, dueil appellant: & ad ueſtitum refertur. Rerum diuinarū, human. prædo.) id eſt, qui fas iúſq; omne uiolauit. Humanarum quidem, quòd P. Clodio nulla lex eſſet, nullū ius ciuile, nulli poſſeſſionum termini, quódque is non iuſtis uindiciis ac ſacramentis alienos fundos, ſed caſtris, exercitu, ſignis inferēdis peteret. Orat. pro Mil. Diuinarum autem, quòd ædem Nympharū incenderit, aras ſacrorum populi Rom. cæſis proſtratíſque lucis oppreſſerit, Iouis Latialis nemora, finéſque nefario ſtupro & ſcelere macularit. ead. orat. muliebribus religionibus ſe implicuerit. Orat. pro dom. Obiecerit.) hòc fuſius explicatur à Cicerone. Orat. poſt red.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

in Sen. Fide niti.) ut pote quibus ſalus populi ſuprema lex eſſet. Cic.3.de legib. Exanimatus.) perterritus,grauiter commotus,exanguis & æſtuans.Orat. de aruſp.reſpon. Euolat.) ſe repentè è curia proripuit.ead.Orat. Aduocat concionē.) concilium. Gallis eſt, Faire aſſemblee de peuple. ita ſæpe loquitur Liuius,& aſcendere in concionem. Erant autem cōciones populi,forum Iudicum,Curia Senatorum. Habet orat.) nam etſi uecors, non tamen ſine uoce conſtitit. Orat. de aruſp. reſpon. Et per Conſulem,Gabinium accipe:in quo notanda eſt facti indignitas,quòd cùm Conſul eſſet,& Reip. ſalutem tueri deberet,eam nefaria oratione cōcuſſerit. Victor.) ſi uiciſſet,cùm cædem Senatus,interitum urbis non obſcurè,ſed palā moliretur.Orat.in L.Piſonem. Habuiſſet.) Orat.poſt red.in Sen. Ea dixit Gabinius,quæ ſi,&c. Errare homines.) recenſet quædā capita orationis Gabinianæ. Tum.) cum ui,ferro,metu,minis omnes eſſent obſeſſi:furioſo Tribuno pleb.addicta eſſet Reſp. Conſules ipſos nulla Reip.cura tangeret. Senatum.) elinguem,Orat.ead.poſt red. in Sen.afflictum,Orat.pro dom. In Rep.) tacita & fracta,ſuſpēſa & ſolicita. iiſdem Orat. Illius diei.) Nonarum Decembrium. Orat.poſt red.in Sen.& epiſt. Non modò,ſi mihi tantùm eſſet otij. lib.1.Epiſt.ad Att.eo enim die de coniuratis Cicero ſuppliciū ſumpſerat.Orat.pro Flac. O Nonæ illæ Decemb. quæ me conſule, &c.

Timore fuiſſent.) qui me,Senatum,ac bonos omnes metuiſſent.

Vlciſcendi.) al. ulciſcendis. quæ lectio placet, non illā ridicula Ald. aut codicis Germanici. Hoc tantùm.) at grauiora multo ac Reip. pernicioſiora fecit. Quæ autem fecerit, ſubiungit: Quæ fecerit,uidete,&c. Remp.labefactare.) cùm ab iis,qui auctoritate in Rep.multum poſſunt,plebeiorum animi facilè aut impellātur,aut reflectantur: certè Ephori apud Lacedæmonios non paſſi ſunt clariſſimum ducem Lyſandrum,conſcriptam de nouando Reip ſtatu orationem pronuntiare,ne cùm à ſummo homine conſcripta eſſet & recitata,id plebi nullo negotio perſuaderetur,quod fortaſſe è re Reip. non fuiſſet.

L:Lamiam,qui cum me ipſum pro ſumma familiaritate,quæ mihi cum patre eius erat,unice diligebat, tū pro

Rep.

Rep. uel mortem oppetere cupiebat, in concione relegauit: edixítque ut ab urbe abeſſet M. *paſſus. quòd eſſet auſus pro ciue, pro benemerito ciue, pro amico, pro* Rep. *deprecari.* Q*uid hoc homine facias? aut quò ciuem importunũ, aut quò potius hoſtem? tam ſceleratum reſerues? qui, ut omittã cætera quæ ſunt ei cum collega immani impuróque coniuncta atque communia, hoc unum habet proprium, ut expulerit ex urbe, relegarit, non dico* Equitem Rom. *non ornatiſsimum atque optimum uirum, non amiciſsimum* Reip. *ciuem, non illo ipſo tẽpore unà cum* Senatu *& cum bonis omnibus cauſam amici* Réique publicæ *agentem, ſed ciuem* Rom. *ſine ullo iudicio, ac edicto ex patria* Conſul *eiecerit.* Nihil *acerbius ſocij* Latini *ferre ſoliti ſunt, quàm id quod perrarò accidit, ex urbe exire à* Conſulibus *iuberi.* Atque *illis tũ erat reditus in ſuas ciuitates, ad ſuos* La*res familiares: & in illo communi incommodo nulla in quenquam propria ignominia nominatim cadebat.* Hoc *uerò quid eſt? exterminabit ciues* Rom. *edicto* Conſul *à ſuis diis penatibus? expellet à patria? uidelicet quem uolet damnabit, atque eiiciet nominatim?* Hic, *ſi unquam uos eos, qui nunc eſtis, in* Rep. *fore putaſſet, ſi denique imaginem* Iudiciorum, *aut ſimulachrum aliquod futurum in ciuitate reliquum credidiſſet, nunquam eſſet auſus* Senatum *de* Rep. *tollere,* Equitum Rom. *preces aſpernari, ciuium denique omnium nouis & inauditis edictis ius, libertatémque euertere.*

L. Lamiam.) In omnibus ferè codicibus hunc locum corruptũ eſſe deprehendimus, & pro L. Lamiã, legi Illum iam. Etſi ante nos Ald. ueram lectionem ſubolfeciſſe uideatur, in Orat. poſt red. in Sen. ſed

quam mutilam reliquerit: ſic enim legit, L. uerò iam Equitem Rom. &c. cùm L. Lamiam ſcribere debuerit. Sed nec aliquãdo diſplicuit, Aeliũ Lamiã legere. Vnice diligebat.) Epiſt. lib. 11. & 12. Relegauit.) urbe expulit, Cõſul imperioſus exire urbe iuſſit. Orat. poſt red. in Sen. & Orat. in L. Piſ. Relegatur qui nec libertatem nec ciuitatem amittit, ut docet Marcell, L. 4. de Interd. & relegat. D. tãtum intra certos fines, & ad certum tempus ſubmouetur. Edixit.) Edicta magiſtratuũ iuſſa interpretor: uerè edicebat prætor, qui quod ius dicturus ſuo anno eſſet, proponebat. M. paſ.) milliarium conficiunt. Paſſus quinq; pedes habet, pes 12 pollices. Benemerito.) pro meipſo, Reip. conſeruatore. Importunum.) improbum, immanẽ. ſic importunum ſcelus, Orat. de aruſp. reſpon. Importunitas autem ex immodeſtia ac moribus difficilibus enaſcitur. Reſerues.) qui ſit peſſimis exemplis, miſeriſque modis necãdus: ductum ab his quæ aſſeruantur, etſi in præſentia minimè utilia ſint. Per Collegam, L. Piſonem intellige. Impuro.) omnium ſcelerum, libidinumque maculis notato. Orat. pro dom. Ornatiſſimum.) præſtanti dignitate hominem. Orat. poſt red. in Sen. Sed ciuem Rom.) quod interdictũ erat legibus ſacratis. Orat. pro dom. idem Orat. pro C. Rab. Perduell. ait lege Porcia cautum fuiſſe, ne quis ciuis Rom. aut uirgis cæderetur, aut ſummo ſupplicio afficeretur. Hinc apud Saluſtium in Catil. de coniuratis more maiorum ſumptum eſſe ſuppliciũ dicitur, id eſt eorum more, qui ante legem Porciam de improbis ciuibus capitale ſupplicium ſumpſerant. Cornel. Tacit. lib. 15. Sine iudicio.) cùm tamen id iure publico, & legibus iis quibus ciuitas Rom. utebatur non liceret. ead. orat. pro dom. At edicto.) al. atque edicto, quod nõ placet: alij dicto legunt, id eſt, ſolo uerbo & iuſſu. Nihil acerbius.) auget indignitatem relegationis collatione. Latini cum ſocij tantùm eſſent, & nõ ciues, relegationem uix ferebant, quẽ putas ciues Rom. animum habuiſſe in relegatione Lamiæ contra ius & leges indicta? idem uidetur tractari à Cic. Orat. pro dom. De Latinis plura ſcribit noſter Cõnan. lib. 2. comment. Iur. ciuil. cap. 6. Olim imperium Rom. ſolo Latio continebatur. Illis.) ſociis Latinis, poſt acerbam relegationem reditus concedebatur. Ad ſuos lares.) ad ſuas ædes, ſuos deos penates: quibus ad focum rem diuinam faciebãt, & eorum ſe-

des Lararium dicebatur. ſic Lampridius ſcribit Alexandrum Seuerum imperatorem in Lario Abrahamum & Chriſtũ coluiſſe. Familiares adiecit, quod ſint etiam lares publici. Communi incommodo.) omnium Latinorum: quibus & conciuis caſus grauis eſſet, & Reip. huius cõciuis relegati præſidio deſtitutæ, calamitas. Nulla in quenquam.) quod uni eorum acciderat, in omnium caput redundabat, neque cuiquam priuata infamia ex tam luctuoſa aut indigna relegatione irrogabatur. Hoc uerò quid eſt?) quale uerò eſt, & quàm indignum factum Gabinij, qui ciuem & Equitem Rom. auſus eſt nefarie relegare? Exterminabit.) è terminis ac finibus huius imperij profligabit? Sic & eliminare dicimus, hoc eſt, extra limen ac foras efferre. Nominatim.) ſine iudicio, legibus ſpretis, contemptóque iure publico. Vos eos.) Sic affectos erga Remp. & bonos quoſq; ciues. Senatum tollere.) Senatum opprimere, eidémque gerendæ Reip. gubernacula eripere. Inauditis edictis.) neque enim unquam auditum fuerat ſolo Conſulis iuſſu, quem Rom. ciuem eiectum fuiſſe: quippe legibus cautum eſſet, ne de capite ciuis Rom. iudicium ferretur iniuſſu populi, atque ad eam rem magna comitia habebantur. Orat. pro dom. ea paulò pòſt Cẽturiata dicet. Libertas euertitur, quibus adimitur. In Codice Germanico legitur, ius ac libertatem euertere. placet uetus lectio.

Et ſi me attentiſsimis animis ſumma cum benignitate auditis, Iudices: tamẽ uereor, ne quis fortè ueſtrũ miretur, quid hæc mea oratio tam longe ac tam alte repetita uelit: aut quid ad P. Sextij *cauſam eorũ, qui ante huius* Tribunatum Remp. *uexarunt, delicta pertineant. Mihi autẽ propoſitum eſt oſtendere omnia conſilia* P. Sextij, *mẽtémque totius* Tribunatus *hanc fuiſſe, ut afflictæ & perditæ* Reip. *quantum poſſet, mederetur. Ac ſi in exponendis uulneribus illis de me ipſo plura dicere uidebor, ignoſcite. Nã & illam meam cladem uos, & omnes boni maximum eſſe* Reip. *uulnus iudicaſtis: &* P. Sextius *eſt reus non ſuo,*

ſed meo nomine. qui cùm omnem uim ſui Tribunatus *in mea ſalute conſumpſerit, neceſſe eſt meam cauſam præteriti tẽporis, cùm huius præſenti defenſione eſſe coniunctã.*

Etſi.) ſuperiorem narrationem ad cauſam accommodat. Altè repetit.) cùm de genere uitæ, de natura, moribus Sextij, & eorum ſceleribus, qui paulò ante Sextij Tribunatum Remp. oppreſſerint, dixerit. Ald. legit, quid hæc mea oratio tam altè, ac tam lõgè repetita uelit. Eorum dixit nempe, Clodij & duorum Conſulum. Vulneribus illis.) afflicta Reipub. fortuna, miſero & calamitoſo illius ſtatu. Vnde uerò ductum ſit, ſatis notum. Meam cladem.) expulſionem ac infœlicem diſceſſum. Omnem uim ſui Trib.) dignitatem ac poteſtatẽ ſui Tribunatus. quippe in eo de me ſemper laborarit, & quibus potuit officiis ſuſtentarit. Orat. poſt red. in Sen. Pro mea ſalute.) ut incolumis in Rep. ſtarem, à qua nefariè relegatione abeſſe iuſſus eram à Clodio. Cauſam præt. temp. meum illud exilium, aut relegatio potius iniuſtáque amandatio. Suum enim ab urbe diſceſſũ, exilium appellari non poſſe docebit hac eadem orat. Tum princeps rogatus ſententiam L. Cotta dixit, &c.

Erat *igitur in luctu* Senatus, *ſqualebat ciuitas publico conſilio mutata ueſte: nullum erat* Italiæ *municipiũ, nulla colonia, nulla præfectura, nulla* Romæ *ſocietas uectigalium, nullum collegium, aut cõcilium, aut omnino aliquod commune conſilium, quod tum non honorificentiſſimè decreuiſſet de mea ſalute: cùm ſubitò edicunt duo Cõſules, ut ad ſuum ueſtitum* Senatores *redirent. Quis unquam Cõſul* Senatum *ipſius decretis parêre prohibuit? Quis tyrannus miſeros lugere uetuit?* Parúmne *eſt* Piſo, *ut omittã* Gabinium, *quod tantùm homines fefelliſti? ut negligeres auctoritatem Senatus? optimi cuiuſque cõſilia contemneres?* Remp. *proderes? conſulare nomen affligeres?* Etiám *ne edicere audebas, ne mærerent homines meã, ſuam,* Reip. *calamitatem?*

mitatem? néue hunc ſuum dolorem ueſte mutata ſignificarent? Siue illa ueſtis mutatio ad luctum ipſorũ, ſiue ad deprecãdum ualebat, quis unquam tam crudelis fuit, qui prohiberet quenquam, aut ſibi mœrere, aut cæteris ſupplicare? Quid? ſua ſponte homines in amicorum periculis ueſtitum mutare non ſolent? Pro te ipſo Piſo nemo' ne mutauit? ne iſti quidem, quos legatos non modò nullo Senatuſconſulto, ſed etiam repugnante Senatu, tute tibi legaſti? Ergo hominis deſperati, & proditoris Reip. caſum lugebunt fortaſſe qui uolent: ciuis florentiſsimi beneuolentia bonorum, & optime de ſalute patriæ meriti periculum coniũnctum cum periculo ciuitatis, lugere Senatui non licebit?

Erat igitur in luctu.) Orat in L. Piſ. Tu es ille, cui crudelitas diſplicet? &c. *Publicò conſilio.)* ipſius quaſi Senatus decreto. ead. orat. ut non tam priuato quodam officio id feciſſe uideantur. *Municipium.)* quãtumuis metu uaſtitatis permotũ. Orat. poſt red. in Sen. De Municipiis & Coloniis. Gellius lib. 16. cap. 13. & Bud. in annot. ad Pandect. Municipes cuiuſq; ciuitatis, ſunt ciues. *Præfectura.)* præfecturæ uocantur, inquit Varro, in quibus ius dicebatur, & nũdinæ agebantur, ac quædam Reſp. erat, nec tamen ſuos magiſtratus habebant: ſed in eas præfecti quotannis, qui ius dicerent, ab urbe mittebãtur. Nos Præuotias, & Seneſchalias, & Baillagia dicimus. *Vectigalium.)* hoc eſt publicanorum, qui ex ordine Equeſtri erant. Orat. pro Cn. Plan. Hoc genus hominum olim infame apud Iudæos, Romanis olim & nunc Chriſtianis cum primis honeſtum, quos tamen nec Ariſtot. nec Tullius inter honeſtos ciues haberi uolũt. τελῶναι ſunt Græcis. uectigalia redimebant, unde & redemptores dicũtur: & qui in iiſdem uectigalibus uerſabantur Publicani, ſocii dicebãtur.

Collegium.) Orat. in Vat. Sed nihil ſit factum mea cauſa, &c. Quid porrò ſit Collegium, docent Iureconſ. lib. 47. D. de colleg. & corp. illic. & Alciat. lib. 2. diſpunct. cap. 14. Galli appellãt Comun-

aultex. Concilium.) plebis cœtus & conuentus: Comitia autem totius populi erant: quod facile intelligi poteſt ex hoc Ciceronis loco lib. 3. de leg. Quid enim maius eſt, ſi de iure quærimus, quàm poſſe à ſummis magiſtratibus comitiatus & concilia, uel inſtituta dirimere, uel habita reſcindere? Conſilium.) ut Senatus, Iudicum, Decurionum in Municipiis. Decreuiſſet.) méque in urbe retinẽdum eſſe cenſuiſſet, atque id non tam mea cauſa, quàm Reip. nomine. Interrog. Vat. Parère prohibuit?) cùm ita ſe res habeat (ait Cicero 3. de legib.) ut quia Senatus dominus ſit publici conſilij, quod is decreuerit, defendant omnes, & S.C. pareant. hinc illa 12. tabul. lex, Senatus decreta rata ſunto. Quis tyran.) Orat. poſt red. in Sen. fecit, quòd nemo unquam tyrannus, &c. & Orat. in L. Piſ. Fefelliſti.) iſto tuo ſupercilio, & nequitia frontis integumentis contecta in fraudem & errorem induxiſti, ead. orat. in Piſ. Proderes.) P. Clodio miſerè diripiendam traderes. Conſulare nomen afflig.) imminueres Cõſulatus maieſtatẽ tuis illis ſceleratis dictis & factis. Edicere audebas.) Orat. poſt red. in Sen. Te conſule nõn eſt licitum, &c. & Orat. in Piſ. Omitto enim, Conſulem edicere, ut Senatus, &c.

Veſte mutata.) in priuatis & publicis periculis quo ſui doloris ſignificationem aliquam darent, cæteróſque ciues ad miſericordiã flecterent, pullã ueſtem uti iam diximus aſſumebãt: ea ſummi doloris, afflictæque fortunæ index erat. Pro te ipſo Piſ.) qui cauſam dixiſti. Accuſatus enim fuit Piſo lege Iulia repetũdarum, quòd ex adminiſtratione Macedoniæ, Achaiæ, Theſſaliæ, nihil in ærarium retuliſſet: imò uerò eas prouincias miſerè diripuiſſet. Orat. in L. Piſon.

Ne iſti quidem.) interrogationem adiecimus. Non defuerũt qui ciuis perditi (qualis hic eſt Piſo) caſum luxerint: non licebit optimis ciuibus, ciuis de Rep. bene meriti caſum lugere? Sed & ſi quis ſine interrogatione legat, non ualde repugnabo. Legatos legaſti.) legat ſibi legatum, qui ſibi legatum deligit. Procõſulibus autem in prouincias profecturis ob uarietatem negotiorum dabatur ex Senatus auctoritate legatus, qui mandatam nõ etiam propriam iuriſdictionem exerceret: ut docet Papin. L. 1. de offic. eius cui mand. lib. 1. D. Porrò legatos Cicero Interrogat. Vat. appellat belli ac pacis nuncios, miniſtros etiam muneris prouincialis. Nullo S.C.) cùm tamen legati ex

Senatus

Senatus auctoritate legarentur. Bonorum.) Orat. pro dom. & epiſt. Acta quæ eſſent uſque ad VIII Calend. Iun. lib.3. Epiſt. ad Att. Ciuis Florentiſs.) conſularis & principis. epiſt. Accepi tuas treis iam epiſtolas. lib.1. Epiſt. ad Att. Pericul. conuic.) Sic & Interrogat. Vat. ait, ciuitatis ſalutem cum ſua unius ſalute eſſe coniunctam. Ac certè laudis eſt non uulgaris, unius hominis operam tam multis eſſe ſalutarem.

Iidem Conſules, ſi appellandi ſunt Conſules, quos nemo eſt, qui non modò ex memoria, ſed etiam ex faſtis euellendos non putet, pacto iam fœdere prouinciarum, producti in circo Flaminio in concionem ab illa furia ac peſte patriæ maximo cum gemitu ueſtro: illa omnia quæ tum cõtra me, contráque Remp. dixerant, uoce ac ſententia ſua comprobauerunt. Iiſdem Conſulibus ſedentibus atque inſpectantibus lata lex eſt, ne auſpicia ualerent, ne quis obnuntiaret, ne quis lege intercederet, ut omnibus feſtis diebus legem ferri liceret, ut lex Aelia & Fuſia ne ualerent: qua una rogatione, quis eſt qui non intelligat uniuerſam Remp. eſſe deletam?

Faſtis.) ex tempore, notatione & annorum ſerie per Coſſ. digeſta: ut olim apud Græcos per Olympiades. huic notationi præerãt Põtifices. Feſt. Pomp. Pacto fœdere prouinc.) cum duobus impiis, nefariiſque conſulibus prouinciæ, legiones, imperia donarentur. Orat. poſt red. in Sen. & Orat. in Piſ. Producti in cõc.) licebat Tribunis pleb. quencunque uellent arripere, & in concionem productum cogere pro ipſorum iure & poteſtate, ut qua de re eſſet interrogatus, de eadẽ reſponderet. Circo Flaminio.) prata C. Flaminij ad Thraſimenum lacũ interfecti dedicata primum fuère ludis Taurinis. Liu. lib.2. Decad.3. Eo in circo in cõcionem producti Conſules Gabinius & Piſo concionem nefariam habuerunt. Circum appello globoſam rotundámque planiciem. Seruius lib.5. Aeneid. Circum theatri, ſpatium interpretatur. Illa furia.) P. Clodio furioſo Tribuno pleb.

Illa omnia quæ tum contra.) Codex Venetus ſic habet, Quæ tam contra me, quàm contra Remp. dixerãt. Hæc lectio planior eſt, & certè uerior. Sedẽtibus.) in templo Caſtoris. Interrogat Vat. in q̃ua & hoc etiam modo legendum, cùm in ea mendoſe, præſidentibus, legatur. Lata lex.) à Clodio. Orat. poſt red. in Sen. Auſpicia.) Quibus hæc urbs condita eſt, & quibus omnis reſp. atque imperium tenetur. Interrogat. Vat. Duæ ſunt religionis partes, auſpicia & ſacra, quæ aut ſublatæ aut pollutæ ſunt à Clodio. Obnuntiaret.) Ne Tribuni pleb. liberiorem in ſua poteſtate legum lationem haberent, ius erat Auguribus obnuntiatione ſua quicquid actum eſſet reſcindere. Ergo obnuntiabat Augur, hoc eſt, non poſſe per Auſpicia fieri admonebat: auſpicatò etenim lex ferebatur. Intercederet.) legi quæ ferretur. Interceſſio Tribunorũ plebis fuit: de cuius ui ſcribit Liu. lib. 6. Decad. 1. Omnium igitur ſimul rerum, quarũ immodica cupido, &c. Oppoſitionem uulgo dicimus: Græci Διαπορείας. Al. ne quis legi intercederet. Om. feſt. dieb. leg. fer. lic.) quod tamẽ nefas erat, cum feſtis diebus, neque iure, neque cum populo agere liceret, credo, ut à feriis omnia abeſſent iurgia, ut eſt apud Ciceronẽ lib. 2. de legib. Plat. 12. legum, & Ouid. lib. 1. Faſt. Lex Aelia, Fuſ.) Interrogat. Vat. In omnibus ferè antiquis Codicibus legebatur, lex Aelia, lex Fuſia, corruptè. Hinc plerique exiſtimarũt duas leges fuiſſe non unã tantum, in quo falſi ſunt: ut ſatis indicat quidam locus Interrogat. Vat. & Epiſt. Quæris ex me quid acciderit. lib. 1. Epiſt. ad Att. qui iudicio meo confutari non poteſt. Ego earum uim hanc fuiſſe puto: ut lege Aelia confirmata fuerit obnuntiatio, teſte Aſcon. Lege autem Fuſia cautum fortaſſe id erat, ne quis eo die quo de cælo ſeruatũ ſciret, cum populo ageret. Quòd ſi de latoribus earum diuinare lubet, referat qui uolet Aeliam ad Q. Aelium Petum Catum: Fuſiam ad P. Fuſium Philonem. etſi non ignorẽ in pleriſque codicib. legi Furiũ.

Rogatione.) lege à Clodio lata. Rogationes tribunitiæ, plebiſcita ſunt, nõ leges, ſi uerè ac propriè loquamur. Remp. deletam?) cum leges Aelia & Fuſia eſſent propugnacula, murique trãquillitatis atque otij. Orat. in L. Piſ. quas ſuſtulerat Clodius.

Iiſdem Conſulibus inſpectantibus ſeruorũ delectus habebatur

bebatur pro Tribunali Aurelio nomine Collegiorum, cùm uicatim homines conſcriberentur, decuriarentur: ad uim, ad manus, ad cædem, ad direptionẽ incitarentur. Iiſdẽ Cõſulibus arma in templum Caſtoris palàm comportabantur, gradus eiuſdem templi tollebantur, armati homines forum & cõciones tenebant, cædes, lapidationéſque fiebãt: nullus erat Senatus, nihil reliqui magiſtratus, unus omniũ poteſtatem armis & latrociniis poſsidebat, non aliqua ui ſua, ſed cum duos Cõſules à Rep. prouinciarum fœdere retraxiſſet: inſultabat, dominabatur, aliis pollicebatur, terrore ac metu multos, plures etiam ſpe ac promiſsis tenebat. Quæ cùm eſſent eiuſmodi Iudices, cum Senatus duces nullos, ac pro ducibus proditores, aut potius apertos hoſtes haberet, Equeſter ordo reus à Conſulibus citaretur, Italiæ totius auctoritas repudiaretur: alij nominatim relegarentur, alij metu ac periculo terrerentur: arma eſſent in templis, armati in foro: eáque nõ ſilentio Conſulum diſsimularentur, ſed & uoce & ſententia comprobarentur: cùm omnes urbem nõdum exciſam & euerſam, ſed iam captam atque oppreſſam uideremus: tamen his tantis malis, tanto bonorum ſtudio, Iud. reſtitiſſemus.

Seruorum.) Quibus apertè ſpem libertatis oſtẽdebat, ut ait quodam loco Cicero. unde mox dicet, aliis pollicebatur, &c. Tribunali Aurel.) Orat. poſt red. in Sen. Forum Aurelium etiam à Cicerone dicitur. 1. Catil. & Orat. pro A. Cluẽt. Eò loci frequẽs improborum hominum ad tumultum & cædem faciendam paratorum multitudo ſæpe conueniebat. Tribunal maiorum fuit iudicum, ut Subſellium minorum: Aſcon. Nomine colleg.) Cùm re uera compararet ſe ad uim faciendam, & ferendam legem de prouinciis Conſularibus, ac mea ipſius pernicie. Quæ fuerãt à Senatu iure ſublata Collegia, de iis

odio Senatus reſtituẽdis,Clodius quaſi quid populariter facturus, cogitabat.Aſcon. in Piſ. Vicatim.) Orat.pro dom.idem omnino tractatur.Cùm in Tribunali Aurelio conſcribebas, &c. Conſcriberentur decur.) Ald. legit,circunſcriberẽtur,ſed mẽdoſe, hoc eſt,factioſe cogerentur. Συνιςάναι eſt Græcis, & συλλοχίζειν,in decurias diſtinguere. Codex Pariſienſis habet centuriarentur . quo uerbo elegãtiſsimè eſt uſus Budæus noſter in quadã ad Ioachimum Vadianũ epiſtola. Ad manum.) ad pugnam. ſic Cic.Orat.pro A. Cluent. cum Tribunus pleb.populo concitato,rem penè ad manus reuocauiſſet. Templum Caſtoris.) Orat.pro dom.Caſtori & Polluci fratribus ædes ab A.Poſthumio dedicata fuit.Cic.lib.3.de Nat.Deorum. Ful.Sabinus.lib.3.Antiq.Vrb. Nulla ui ſua.) antea dixit,nullis ſuis neruis.Hinc Veſanus à Cicerone dicitur.Orat.pro dom. Fœdere.)pactione. Orat. poſt red. ad Quirit.& nos antea monuimus.

Dominabatur.) occupato foro,appreſſa curia. Orat. pro dom.

Terrore.) exercitus, & audaciſsimorum hominum minis . Orat. poſt red. ad Quirit. Citaretur.) reus fieret,periculum illi denuntiaretur, quòd ueſtem mea cauſa mutaſſet.Neque uerò citare eſt,in ius uocare,ut uulgus interpretum Iuris ciuilis putat:at uerè tum reus citatur,cum ipſa die cognitionis,quæ ante ei dicta fuit, in foro ac Tribunali per præconem euocatur,ut præſens ſit nécne appareat.Id facilè quis intelligat ex quodam reſponſo Marcelli in L.diuus Antoninus.De in integ.reſtitut.lib.4.D.ut magnam gratiam ornatiß. iureconſ.Duareno habere debeamus, qui hoc primus nos docuerit.lib.1. Anniuerſariarum diſputat.cap.7. Nomin.releg.) ut Aelius Lamia.de quo anteà. Terrerentur.) adeò ut à mea cauſa paululum receſſerint. Orat.poſt red. in Sen. & Plutarch.in Ciceron. Diſſimularen.)Grammatici obſeruant ea propriè diſsimulari,quæ ſunt, quæque intus deliteſcunt:ſimulari autem quæ non ſunt,quaſi eſſent: ut ſimulatio oſtentationem,diſsimulatio mendacium habeat. Oppreſſam.) pernicioſis legibus ,ſuſpenſam ac ſollicitam dicit:Orat.pro dom.tacitam & fractam. Orat.poſt red.in Sen. Reſtitiſſemus.) quod facilè feciſſemus, cùm Senatus decreuiſſet, ut omnes qui Rẽp. ſaluã eſſe uellent,ad me unũ defendendũ uenirent.Orat.pro dom.& epiſt.illa long.ad Lentul.lib.1.Epiſt.famil. Quo in diſcrimine,&c.

Sed me

Sed me alij metus, atque aliæ curæ, ſuſpicionéſque mouerunt. Exponam enim *hodierno die* Iud.*omnẽ rationem facti & conſilij mei; neq; huic ueſtro tanto ſtudio audiendi, neque uerò huic tantæ multitudini, quanta mea memoria nunquam ullo in iudicio fuerit, deero.* Nã *ſi ego in cauſa tam bona, tanto ſtudio* Senatus, *conſenſu tam incredibili bonorum omnium tam parato, tota denique* Italia *ad omnem cõtentionem expedita, ceßi* Tribuni *pleb. deſpicatißimi hominis furori, contemptißimorum* Conſulum *leuitatem audaciámque pertimui: nimium me timidum, nullius animi, nullius conſilij fuiſſe confiteor.* Quid *enim ſimile fuit in* Q. Metello? *cuius cauſam etſi omnes boni probabant, tamen neque* Senatus *publice, neque ullus ordo propriè, neque ſuis decretis* Italia *tota ſuſceperat. ad ſuã enim magis ille gloriã, quàm ad perſpicuam ſalutẽ* Reip. *ſpectarat, cùm unus in legem per uim latam iurare noluerat.* Denique *uidebatur ea conditione tam fortis fuiſſe, ut cum patriæ charitate conſtantiæ gloriam cõmutaret: erat autem ei res cum exercitu* C. Marij *inuicto: habebat inimicum* C. Marium *conſeruatorem patriæ, ſextum iam illum* Conſulatum *gerentem: res erat cum* L. Saturnino *iterũ* Tribun. *plebis uigilante homine, & in cauſa populari ſi non moderatè, at certè populariter, abſtinentérque uerſato.* Ceßit, *ne aut uictus à fortibus uiris cũ dedecore caderet, aut uictor multis & fortibus ciuibus* Remp. *orbaret.*

Alij metus, ſuſp. mouerunt.) ne reſiſterem Clodio ac duobus nefariis Conſulibus Gabinio & Piſoni. Facti & conſilij.) quod diſceſſerim cæde ac dimicatione mihi denuntiata, non aliqua peccati conſcientia. Orat. pro dom. & antequam ulla de me lex ferretur. Plu-

tarch.in Cic. Tam bona.) epiſt. Acta quæ eſſent uſque ad VIII. Calend. Iun. lib. 3. Epiſt. ad Att. Suam uerò cauſam tam bonã fuiſſe ait, ut ea ipſa ſe probaret maximè. Orat. pro dom. Senatus.) cuius auctoritate omnia geſſeram. ead. Orat. Tam parato.) Hinc bonorum præſidium ſibi non defuiſſe ſcribit, eadem Orat. Cic. in qua & de ſtudio Italiæ erga ſe multa etiam diſſerit. Quid enim.) Pertimeſcendum ſibi non fuiſſe probat exemplo diſsimili: perſonas, cauſas, facultates conferens. Q. Metell.) Q. Cæcilium Metellum Numidicum intelligit L. Luculli auunculũ. Plutarch. in Lucul. Hunc locũ explicat Cic. Orat. in Piſ. & lib. 3. de legib. Si Tribunus aliquis ſic in me, &c. Meminit etiã Valer. lib. 3. cap. 8. Antea pro Q. M. corruptè legebatur. Probabant.) quod in legem Agrariam Reip. pernicioſam iurare recuſaret. & quod publicè dixit, publico conſilio intellige: ut propriè, hoc eſt, ſpecialiter nominatímque, uti antea dixit.

Suſceperat.) at mea in cauſa aliter multo accidit, ut quã & Senatus, & boni omnes tuendam ſuſceperint, ut mox dicet, & fuſius explicabit. Gloriam,) futuram ſi in exilium uoluntarium abiret, & ſummo omnium conſenſu poſtea ſumma cum laude reuocaretur.

Ad perſpicuam ſalutem patr.) cum ſe clariſsimo & optimo ciue, ſuo diſceſſu Remp. orbaret. Certè cũ patriæ natus ſis, non eſt quòd tuam gloriam aut nominis tui celebritatẽ, illius & ſaluti & cõmodis anteponas. In legem.) L. Apuleius Saturninus cum legem Agrariam per uim tuliſſet, Metello Numidico, qui in eam iurare noluerat, diem dixit: cum autem Metellus ab Optimatibus ſtudioſe defenderetur, ne tamen ſua cauſa domeſtica aliqua ac penè ciuili cõtentione Reſp. concuteretur, maluit in exilium abire. Cic. Orat. pro C. Rab. Perduell. Oroſ. lib. 5. cap. 17. Magiſtratus autem in legẽ iurabant, cùm ſeſe iuriſiurandi religione adſtringebant, nihil ſe contra legem eſſe facturos, atque ita legem comprobarent. Vt cum patriæ charitate.) Maluit glorioſe ac conſtanter Trib. plebis reſiſtere, quàm in patria manere, cui tam neceſſarius ac utilis ciuis eſſet. Inuicto.) qui iuxta Iſaram, Rhodanúmque flumina, Teutones, Cimbros, Tigurinos, & Ambrones uicerat. Orat. pro dom. & Oroſ. lib. 5. cap. 16.

Inimicum.) non ſponte, ſed ſtimulatoribus & concitatoribus Saturnino & C. Glauca prætore. Orat. poſt red. ad Quirit. & Oroſ.

Conſeruatorem

Conſeruatorem patriæ.) cuſtodem ciuitatis, atque imperij dicit Cic. ead. Orat. ad Quirit. & 3. Catil. Conſeruator eſt Latinis (atque haud ſcio an uerbo ſatis ſignificãte) qui Græcis eſt σωτὴρ, is autẽ eſt propriè qui ſalutem dat. Sextum conſ.) cum L. Valerio Flacco. Huius Cõſulatus meminit Plinius lib. 2. cap. 34. quanquam apud eũ Cn. pro C. legatur, ſed parum emẽdatè. L. Saturnino.) homine ſeditioſiſſimo, Orat. pro Rab. Perduell. & cuius ſanguine ſummi uiri & clariſſimi ciues non modò ſe non contaminarunt, ſed etiam honeſtauerunt. Orat. 1. in Catil. Moderatè.) quòd factioſè, ac per uim legem ferret. Populariter.) quippe ea lex Agraria populo maximè placeret, atque è re populi fortaſſe eſſet eam ferri. Hũc locũ nos ſuæ integritati reſtituimus, cùm antea miſerè contaminatus eſſet, ut bonus ſenſus elici nullus poſſet. Abſtinentérque.) quòd nulli ciuium præterquã ipſi Metello, cui tam infenſus erat, iniuriã fecerit. Præclare quodam loco dixit Cic. Nulla re facilius conciliari beneuolentiam multitudinis, quàm abſtinentia & continentia. Ceſſit.) Metellus furori Saturnini Tribuni plebis. Fortibus uiris.) Mario eiuſdémque ualidiſſimo exercitu. Cæterum non uideo cur quicquam adiici debeat, ut uoluit Ald. in cuius codice ſic legitur, Aut uictor multis eo fortibus ciuibus, &c.

M*eam cauſam* S*enatus palàm,* E*queſter ordo acerrimè, cuncta* I*talia publicè, omnes boni propriè enixeq́; ſuſceperant: eas res geſſerã, quarum nõ unus auctor, ſed dux omnium uoluntatis fuiſſem: quæque non modò ad ſingularem meam gloriam, ſed ad ſalutem communẽ omnium ciuium, & propè gentiũ pertinerent: ea cõditione geſſerã, ut meum factũ ſemper omnes præſtare tueríque deberent.* E*rat autem mihi contentio non cum uictore exercitu, ſed cum operis conductis, & ad diripiendam urbem concitatis.* H*abebàm inimicum non* C. M*arium terrorem hoſtiũ, ſpem ſubſidiúmque patriæ: ſed duo importuna prodigia, quos egeſtas, quos æris alieni magnitudo, quos leuitas,*

quos improbitas Tribuno *pleb.conſtrictos addixerat.*Nec *mihi res erat cum* Saturnino, *qui quòd à ſe* Quæſtore O-*ſtienſi per ignominiam ad principem, & Senatus, & ciuitatis* M.*Scaurum rem frumentariam trãſlatam ſciebat, dolorem ſuum magna contentione animi perſequebatur: ſed cum ſcurrarum locupletum ſcorto, cum ſororis adultero, cum ſtuprorum ſacerdote, cum uenefico, cum teſtamentario, cum ſicario, cũ latrone: quos homines ſi (id quod facilè factu fuit, & quod fieri debuit, quodq́ue à me optimi & fortiſſimi ciues flagitabant) ui armíſque ſuperaſſem: non uerebar, ne quis aut uim ui repulſam reprehenderet, aut perditorum ciuium, uel potius domeſticorum hoſtium, mortem mœreret.*

Italia.) quæ tota ad meæ ſalutis defenſionem cõuolarat. Orat. pro dom. Orat. poſt red. in Sen. & epiſt, 2. lib. 1. Epiſt. ad Q. frat. Propriè.) ſpecialiter, ac priuato quodam ſtudio. uerbum iſtud temerè omiſſum in Ald. codice. Susceperãt.) epiſt. 2. lib. 1. Epiſt. ad Q. frat. Noſtræ cauſæ non uidentur homines defuturi, &c. Non unus auctor.) quod omnia ex auctoritate Senatus, & bonorum omniũ conſenſu geſsiſſem. Orat. pro dom. Sed dux.) id & antea Cicero dixit. Non recito decretum, &c. Et id etiam peti poſſe ex 4. Catil. monuimus. Gentium ſal. pertinent.) Hoc illud eſt quod ſcribit Cicer. Orat. pro dom. Omitto, inquit, ciuitatum, nationum, &c. de meis in omnes mortales meritis unum iudicium, unúmque cõſenſum. Præſtare.) in ſe recipere, & quod inde conſequeretur, luere. uerbum eſt Iureconſ. propriũ: Vlp. in L. Idem Labeo ſcribit. D. famil. erciſc. & ſæpe ad Aedilitium edictum. Operas, mercenarios dicit à Clodio cõductos ad uim faciendam. Spem ſubſid. patr.) patrem dicit. Orat. pro C. Rab. Perduell. conſeruatorem. lib. 2. legum. eóque uix alium fuiſſe præſtantiorem uirtute, prudentia, religione, æquitate. Orat. pro Cor. Balbo. Prodigia.) portenta, monſtra, ac penè Reip. funera. Orat. de prouinc. Conſ. Conſtrictos addixerat.) prouinciarum pactione.

ctione. Addicere ſe alicui, dedere eſt, & quodãmodo ancillari: ſicq́; loquitur Cicero orat. in Saluſt. Non enim uni priuatim ancillatus ſum, neque me addixi. Qui quòd à ſe.) Mutilam & nullius ſenſus lectionem nobis Ald. dederat, nos opera Adr. Turnebi hominis doctiſsimi ueram dedimus. Quæſtore Oſtienſi.) Epidamo condita Oſtiã urbem in ore Tyberis Ancus Martius 4. Rom. Rex extruxit, & ſalinas circum fecit, ait Liu. lib. 1. Decad. 1. Et quia ex Aegypto, Africa, Sardinia, magna frumenti copia in eam aduehebatur, qui huic rei frumentariæ præerat, Quæſtor Oſtienſis dicebatur. M. Scaurum.) M. Aemilium Scaurum. Orat. pro Rab. Perduell. Is regendæ Reip. ſcientiſsimus, eloquẽtia mediocri ac iurisprudentia plus Reip. profuit, quàm bello Marius, ait Cice. lib. 1. de Orat. ad Q. frat.

Rem frumentariã tranſlatam.) Rei frumẽtariæ procurationẽ ſibi ademptam & Scauro delatam. Orat. de Aruſp. reſp. Saturninũ quod in annonæ charitate, &c. Sed cum ſcurrarũ.) Oratoriè deſcribit, ut cõtẽnat. de teſtamẽtariis, & ueneficis plura legere eſt apud Ireconſ. Sororis adultero.) Clodiæ Quadrantis, quam uirginẽ & pudicam eſſe Clodius non ſiuit, ſed eandẽ & ſororem & uxorem eſſe uoluit. Orat. pro dom. Ea primũ nupſit Q. Metello Celeri uiro conſulari, quem cum ueneno ſuſtuliſſet, Orat. pro M. Cælio, poſtea L. Lucullo nupſit. Plutarch. in Cic. & Lucul. Stuprorum ſacerd.) inceſti flagitio & ſtupro Clodius polluerat cæremonias, & ſacra Bõnæ deæ. unde à Cicerone Orat. pro dom. εἰρωνικῶς Clodium caſtiſsimum ſacerdotem dicit: & Clodianam religionem, epiſt. Vereor ne putidum ſit. lib. 1. Epiſt. ad Att. Latrone.) Archipiratam nominat. Orat. poſt red. in Sen. Quod fac.) parentheſin adiecimus, & uoculã id ſuſtulimus, quæ in omnibus Germanicis cod. habetur. Fac. fact.) cum tot uirorum fortiſsimorum millia mihi adeſſent. Orat. pro dom.

Fieri debuit.) uiciſſem etenim cum magna interuẽtione improborum ciuium, nec ita miſerè concidiſſem à patria diſtractus. Flagitabant.) Orat pro dom. & epiſt. 2. lib. 1. Epiſt. ad Q. frat. iam citata. Vim ui repulſam rep.) cùm id liceat, nec quicquam magis ſit ſecundum naturã, quàm uis imminentis ingruentiſque depulſio. Cic. orat. pro Mil. & lib. 1. Offic. Princip. generi animantium, illúdque beſtiarum ſenſibus infixum uidemus. Hinc Braſidas quidam, ut eſt

apud Plutarchum, manum in caricas cùm miſiſſet, & à mure qui in ipſis latebat, morſus fuiſſet, exclamauit: Papè, quàm nullum eſt animal tam puſillum, quod non ſe ulciſcatur laceſſitum. Ἔνεστι κἂν μύρμηκι χολή, *Formicæ ſua bilis ineſt.*

Sed me illa mouerunt: omnibus in cōcionibus illa furia clamabat, ſe quæ faceret cōtra ſalutē meam, facere auctore Cn. *Pōpeio clariſſimo uiro, mihíque & nunc, & quoad licuit amiciſſimo.* M. *Craſſus, quocum mihi erant omnes amicitiæ neceſſitudines, uir fortiſſimus, ab eadē illa peſte infeſtiſſimus eſſe meis fortunis prædicabatur.* C. *Cæſar, qui à me nullo meo merito alienus eſſe debebat, inimiciſſimus eſſe meæ ſaluti, ab eodē quotidianis concionibus dicebatur.* His *ſe tribus auctoribus in conſiliis capiēdis adiutoribus in re gerenda eſſe uſurum dicebat: ex quibus unum habere exercitum maximum in* Italia: *duos, qui priuati tum eſſent, & præeſſe, & parare, ſi uellēt, exercitum poſſe: idque facturos eſſe dicebat, nec mihi ille iudicium populi, nec legitimam aliquam contētionem, nec diſceptationē, aut cauſæ dictionem, ſed uim, arma, exercitus, imperatores, caſtra denuntiabat. Quid ergo? inimici oratio, uana præſertim, tam improbe in clariſſimos uiros coniecta me mouit?* Me *uerò non mouit illius oratio, ſed eorum taciturnitas, in quos illa oratio tā improba cōferebatur: qui tum, quanquam ob aliam cauſam tacebant, tamen hominibus omnia timentibus tacendo loqui, non inficiando confiteri uidebantur.* Illi *autem aliquo tum timore perterriti, quòd acta illa, atque omnes res ſuperioris anni labefactari à prætoribus, infirmari à* Senatu *atque principibus ciuitatis putabant,* Tribunum *popularem à ſe alienari nolebant, ſuáque ſibi propiora pericula eſſe, quàm mea loquebātur.*

Illa mouerunt.) ne reſiſterem, méque ad dimicandum pararem. Et furiam, Clodium dicit, ut ſæpe monui. Facere auct.) Certè Pompeius, Cæſar & Craßus ciuitatis proceres conſpirarant inter ſe, ſuo ut arbitrio Remp. regerent: cùm autem ſibi à Cicerone homine conſulari, & coniurationis extinctore metuerent, ne eum acerbum nimis & præfractum aduerſarium haberent, illius gloriæ inuidere cœperunt, ut eum uexari à Clodio atque adeò expelli haud moleſte ferrent: Cicero tamen uitans eorum offenſiones, eos partim excuſat, partim omnem culpam in falſos rumores, inanéſque ſuſpiciones reiicit. Hic locus etiam tractatur à Cic. Orat. de Aruſp. reſp. An iſte, niſi primo ſe dediſſet iis, &c. Clariſsimo uiro.) omnium qui ſunt, fuerũt, erunt uirtute, ſapientia, ac gloria principe. Orat. poſt red. ad Quirit. & in Sen. Quoad licuit.) per uim Clodianam: cui tandem Pompeium adhæſiſſe crediderim, atque adeò à Cicerone deſciuiſſe, ut mihi ualde ſit uerisſimile ex epiſtol. Quintus frater cùm ex Aſia. lib. 3. Epiſtol. ad Att. maximè cùm de Pompeio ſcribat Cælius ad Ciceronẽ, lib. 8. Epiſt. fam. dum aliud ſentire & loqui, eúmque ipſe Cic. ſimulatorem uocet epiſt. Mi frater, lib. 1. Epiſt. ad Q. fratr. M. Craſſus.) cui plus quàm Pompeio Cicero confidebat, epiſt. iam citata, Mi frater.

Eſſe uſurũ.) & uerò uſus eſt cum Ciceronis gloriæ inuiderẽt, epiſt. Brunduſium ueni ad Cal. Maias. lib. 3. epiſt. ad Att. Cæterum his ſi uoles Hortẽſium addes, à quo dicit ſe ſceleratiſsimè ac inſidioſiſsimè eſſe tractatũ. epiſt. Mi frater. Nullo merito.) hoc eſt, nullo meo peccato, aut culpa. Vnum.) nempe Cæſarem tum in Gallias expeditionem parantem: Plutarch. Habere exercitum.) Orat. poſt red. in Sen. erat alius ad portas cũ imperio, &c. Duos Pompeiũ & Craſſum quos priuatos dicit, quod tũ in Rep. eſſent ſine ulla poteſtate. Si uellent.) cùm magnæ eſſent authoritatis in Rep. in Ald. codice hũc locũ deprauatũ eſſe, nemo eſt qui non uideat. Sequitur autẽ eos qui plurimum poſſent opponi omnibus concionibus, &c. Legitimã cõten.) iudiciũ paulò antè dixit: ſic enim & iurecõſulti iudiciũ diffiniẽrunt, ut legitima ſit contẽtio, coram diſceptante magiſtratu. Et cùm duo ſint genera decertandi, unum per diſceptationẽ, alterũ per uim, uerè in iudicio diſceptant patroni. Cauſæ dictionem.) accuſationem, cùm neque adeſſe ſim iuſſus, neque citatus, neque accuſatus:

Orat. pro dom. Timentibus.) meticuloſis. Non inficiando.) non purgando ſe, cùm ut plurimũ is qui tacet, aſſentiri uideatur. Acta illa.) P. Clodius in Tribunatu, Cæſaris (ut uidebatur) inimiciſſimus epiſt. 12. & 22. lib. 2. epiſt. ad Att. ea quæ Cæſar contra auſpicia in Conſulatu geſſiſſet, minitabatur ſe reſciſſurum eſſe C. Mẽmio prætore de actis Cæſaris ad Senatum referente. Orat. in Vat. Suet. in Iul. Cæſ. ac certè illud eſt de quo ſpem bonam ſe concepiſſe Cic. ſcribit epiſt. Vt ſcribis ita uideo. lib. 2. Epiſt. ad Att. Alia eſt apud Iurecõſ. actorũ ſignificatio. lib. 42. D. de re iud. Superioris anni.) quo Cæſar cum M. Bibulo conſulatum geſſerat. Prætoribus.) L. Domitio, C. Memmio, al. Mimmio Suet. in Iul. Cæſ. & Cic. Orat. in Vat. refert Pomponius L. 2. lib. 1. D. de orig. Iur. Ciuil. decẽ & octo prætores unà cũ ſex ædilibus in ciuitate iura reddidiſſe, quos omnes nuſquã urbanos appellatos legi, cùm unum fuiſſe prætorem urbanũ ex Tullio didicerim. Infirmari.) attentari, reſcindi: ego uerò illa nec defendi, nec oppugnaui. Orat. de prouinc. Conſ. Idem tractatur à Cicer. Orat. pro dom. Tua denique omnis actio. &c. Putabant.) quod & certè uerum erat. ſic enim ſcribit Cic. ead. Orat. Nam ſummi ciuitatis uiri, quorum ego conſilio Remp. conſeruaui Iulias leges, & cæteras illo conſule rogatas, iure latas negant. Popularem.) hoc eſt, ſeditioſum, uel quod uero propius eſt, traductione ad plebem, plebeium factum, epiſt. De Geographia. lib. 2. Epiſtol. ad Att. In Cod. Ald. ualde confuſa & perturbata eſt lectio, in quo ſic legitur, Infirmari à Senatu, atque à principibus ciuitatibus putabant: ſuáq; ſibi propiora eſſe pericula, quàm mea loquebantur: Tribunum popularem à ſe alienari nolebãt. Alienari.) al. alienare. ut ſi quid eorum quæ geſſiſſent, Pompeius & Craſſus reſcindendum eſſe Senatus iudicaſſet, ſicuti de actis Cæſaris facere uelle uidebatur. huic Senatuſconſulto Clodius Tribunus pleb. in eorum gratiam intercederat: ait enim lex 12. tabul. Quod Tribuni pleb. prohibeſſint, ratum eſto. Suáq; ſibi propiora pericula.) eodem ferè ſenſu dixit Terent.

Verum illud uerbum eſt, uulgò quod dici ſolet,
Omnes ſibi eſſe melius malle, quàm alteri.

Et Menãder in Gnomologiis: φιλῶ δ' ἑαυτοῦ πλέον οὐδεὶς οὐδένα. *id eſt, nemo ſeipſo diligit quenquam magis.*

Sed

Sed tamen & Craſſus Conſulibus meam cauſam ſuſcipiendam eſſe dicebat, & eorum fidem Pompeius implorabat, neque ſe priuatum publicè ſuſceptæ cauſæ defuturum eſſe dicebat. Quem uirum ſtudioſum mei, cupidiſsimum Reip. conſeruandæ domi meæ certi homines ad eam rem compoſiti monuerunt, ut eſſet cautior, eiuſque uitæ à me inſidias apud me domi poſitas eſſe dixerunt. Atq; hanc ei ſuſpicionem alij literis mittendis, alij nunciis, alij coram ipſi excitauerunt: ut ille, cùm à me certè nihil timeret, ab illis, ne quid meo nomine molirentur, ſibi cauēdum putaret. Ipſe autem Cæſar, quem maximè ignari homines ueritatis mihi eſſe iratum putabant, erat ad portas cum imperio, erat in Italia eius exercitus, inque eo exercitu ipſius Tribuni pleb. inimici mei fratrem præfecerat.

Sed tamen &c.) Codex Ald. & Moricus legunt, Et tamen & Craſſus à Conſulibus, ſed parum ſana eſt lectio. Conſules, Gabinium & Piſ. intelligit. Implorabat.) ſtudio & auctoritate, opibus, contentione, precibus: periculis denique præcipuè pro mea ſalute laborans. Orat. pro dom. Dicebat.) imo uero adiurarat ſe prius occiſum iri. Compoſiti.) ad hoc parati ac ſubornati. Al. poſiti, quos aduerſarij ac inimici mei ſubmiſerant, ut hanc iucundiſsimam uitæ atque officiorū omnium inter nos ſocietatē fictis ſermonibus ac falſis criminibus dirimerent. ead. Orat. Eſſet cautior.) atque ita illum ut me metueret, monerent. ead. Orat. Iratum putabant.) Falſo, quippe Cn. Pōpeius idem mihi de uolūtate Cæſaris, & ſpōnſor eſſet illi de mea. Orat. de prouinc. Conſ. Cum imperio.) qui ad regēdas uniuerſas prouincias mittebātur, uerè ea propriè cum imperio eóque mero, id eſt, gladij poteſtate eſſe dicebatur: ut noſtri docent, in L. Illicitas exactiones. §. ſicuti. de Offic. præſi. lib. 1. D. his addas Alexād. ab Alexād. lib. 2. Genial. ca. 27. Fratrē.) Appiū Clodiū. epiſt. Quàm uellem Romæ manſiſſes. lib. 2. Epiſt. ad Att. Cuiuſdam Au. Claudij Cæſar meminit lib. 3. de bell. ciuil. ut exiſtimē App. ſcribi debere.

Hæc ego cùm uiderem (neque enim erant occulta) Se*natum, ſine quo ciuitas ſtare non poſſet, omnino de ciuitate eſſe ſublatum:* Con*ſules, qui publici conſilij duces eſſe deberent, perfeciſſe, ut per ipſos publicum conſilium funditus tolleretur: eos qui plurimum poſſent, opponi omnibus concionibus falsò, ſed formidoloſè tamen, auctores ad perniciem meam: conciones haberi quotidie contra me: uocem pro me, ac pro* Rep*. neminem mittere: intenta ſigna legionum exiſtimari ceruicibus ac bonis ueſtris falsò, ſed putari tamen: coniuratorum ueteres copias, & effuſam illam ac ſuperatam* Catilinæ *manum importunam nouo duce & inſperata commutatione rerum eſſe renouatam.* Hæc *cùm uiderem, quid agerem* Iudices*? ſcio enim tum nõ mihi ueſtrum ſtudium, ſed meum propè ueſtro defuiſſe. contenderem contra* Tribunum *pleb. priuatis armis? uiciſſent improbos boni, fortes inertes, interfectus eſſet is, qui hac una medicina ſola potuit à* Reip*. peſte depelli.* Quid *deinde? quid reliquiarum reſtaret? quid denique?* Erat *dubium quin ille ſanguis* Tribunitius*, nullo præſertim publico cõſilio profuſus,* Con*ſules ultores & defenſores eſſet habiturus? cùm quidem in concione dixiſſet, aut mihi ſemel pereundum, aut bis eſſe uincendum.* Quid *erat bis uincere? id profectò, ut cum amentiſſimo* Tribuno *pleb. cùm decertaſſem, cum* Con*ſulibus cæteríſque eius ultoribus dimicarẽ.*

Hæc ego.) cõfeſſurus ſe timuiſſe, tota ut ea cõfeſſio mollior fiat, rurſus ea quæ paulò ante dixit ingerit. Non poſſe.) ut qui ſit princeps ſalutis, mentiſque publicæ. Orat. de Aruſp. reſpon. Vocẽ mittere.) loqui, aut ullum de me uerbum facere. Patroni cauſarum uocem mittere, tum demum uerè dicuntur, cùm magno & acri ſtudio

in

in cauſam incumbunt, quique nihil omittunt, quò perſuadeant. Sic Plato lib.10.de leg.ait optimum nomothetam nunquam defatigari oportere,quin potius emiſſa,quod dici ſolet,omni uoce,ueteri legi ſuppetias ferre debere,deos ut omnibus rationibus eſſe doceat, ſic is ſcribit: ἀλλὰ πᾶσαν, τὸ λεγόμενον, φωνὴν ἱέντα, τῷ παλαιῷ νόμῳ ἐπίκουρον γίγνεσθαι λόγῳ, ὡς εἰσὶ θεοί. Formidoloſè.) non abſq; ſuſpicione tamen ne me deſererent,cùm tacerent. Intenta ſigna.) impedere nobis à Cæſaris exercitu cædem & bonorum omnium direptionem,ſi pro me ſtaretis. Intenduntur arcus ad eiaculandas ſagittas. Cic.in Cat. M. Appius Clodius cæcus intentum animum tanquam arcum habebat. Veteres copias.) intermortuas reliquias.Orat. poſt red.in Sen.Quare cùm uiderem Senatum,&c.Quippe duos Conſules Gabinium & Piſonem Catilinæ gregales appellat.Orat.pro dom.

Effuſam.) fugatam,eiectam ex urbe,uel emiſſam.2.Catil. Importunam.) hoc eſt,peſtiferam & exitialem uobis,atque adeò huic urbi ferrum flammámque minitantem. ead.Catil. Orat.in L.Piſ. Et nouum ducem,Cæſarem dicit. Inſperata commutat.) cùm reſp.eiecto Catilina tandem recreata,nunc eodem inteſtino malo rurſum opera Cæſaris oppreſſa uideretur. Veſtrum ſtudium.) cùm omnes & ſe & ſuos amicos,clientes,libertos,ſeruos,pecunias denique ſuas pollicerentur.epiſt.2.lib.1.Epiſt.ad Q. frat. Priuatis armis.) quod lege non licebat.ſicuti nec noſtro tempore cuiquam non licet mouere arma ſine iuſſu principis. Port d'armes eſt defendu . Si quis plura ſcire deſideret,legat lib.48.D.ad leg. Iul.de ui publica. Viciſſent.) Conceſſio eſt: Eſto,boni uictores fuiſſent,interfectus eſſet Clodius,qui hoc uno remedio,nece ſcilicet,ab inferenda pernicie Reip. arceri potuiſſet. Quid denique.) In Codice Germanico tantùm legitur,Quid? Cùm quidem.) Baptiſta meus exiſtimauit aliquando legendum eſſe Quidam,ut Gabinium intelligat à Clodio in concionē productum,ut paulò antè dixit: Et Quidam, cōtemptim dictum eſſe de Gabinio.Id ſi uerum eſt,neque enim auſim aſſerere,aut quicquā immutare,& probo & docto adoleſcenti habeo gratiā: motus quidem uidetur coniectura ſatis iuſta.

Ego uerò ſi mihi uni pereundum fuiſſet,ac non acci-

piēda plaga mihi inſanabilis illa mortifera, quā Reip. *impoſuiſſet: ſemel perire tamē* Iud. *maluiſſem, quàm bis uincere.* E*rat enim illa altera eiuſmodi contentio, ut neque uicti, neque uictores* Remp. *tenere poſſemus.* Q*uid, ſi in prima contētione ui* Tribunitia *uictus in foro cum multis bonis uiris cōcidiſſem? Senatum* Conſules, *credo, uocaſſent? quem totum de ciuitate delerant, ad arma uocarent?* Q*ui ne ueſtitu quidē defendi* Remp. *ſiuiſſent, à* Tribuno *pleb. poſt interitum meum diſsidiſſent? qui eandem horam meæ peſtis & ſuorum præmiorum eſſe uoluiſſent.* V*num enim mihi reſtabat illud, quod forſan non nemo uir fortis & acris animi, magníque dixerit:* R*eſtitiſſes, repugnaſſes, mortem pugnans oppetiſſes.* D*e quo te, te inquam, patria obteſtor, & uos penates, patriíque dij, me ueſtrarum ſedium templorúmq; cauſa, me propter ſalutē meorū ciuium, quæ mihi ſemper fuit mea charior uita, dimicationē cædémq; fugiſſe.* E*tenim ſi mihi in aliqua naue cum meis amicis nauiganti hoc* Iud. *accidiſſet, ut multi ex multis locis prædones claſsibus eam nauem ſe oppreſſuros minitarentur, niſi me unum ſibi dedidiſſent: ſi id uectores negarēt, ac mecum ſimul interire, quàm me tradere hoſtibus mallent, ieciſſem me ipſe potius in profundum, ut cæteros cōſeruarē, quàm illos mei tam cupidos non modo ad certam mortem, ſed in magnum uitæ diſcrimen adducerem.*

Ego uerò.) Perturbatus eſt ualde in omnibus codicibus hic locus & contaminatus, nos ſic emendari poſſe credimus: Ego uerò ſi uni pereundum fuiſſet, ac non accipienda plaga mihi inſanabilis, illi mortifera, qui Reip. impoſuiſſet: ſemel perire tamen Iudices, &c. ut ſit ſenſus: Si unius P. Clodij cæde, qui pugnandi neceſsitatem Reipub. impoſuerat, tanto defungi periculo potuiſſem, ac non ad utriuſque perniciem

perniciem internecionémque decertandum fuiſſet, uſque adeò tamen ſum alieno à ciuili contentione animo, ut perire ſemel maluiſſem, quàm bis uincere. Si cui hæc lectio non placet, ſaniorem adferat.

Illa altera.) cum Conſulibus Gab. & Piſone. Senatum uoc.) ut de me ulciſcendo ad eum referrent: & Credo, εἰρωνικῶς dici, nemo eſt qui non intelligat. Delerant.) in Ald. cod. & Germanico eſt, deiecerant. Eandem hor.) Cic. Orat. poſt red. in Sen. Tanta intemperantia fuiſti Piſo, ut ne unam quidem horam intereſſe patiere inter meam peſtem, & tuam prædam. ac per peſtem intelligit legem de ſua pernicie latam. Præmiorum.) Prouinciarum ipſis Conſulibus à Clodio delatarum, & quarum pactione non modò ipſum Ciceronem deſeruerũt, ſed prodiderunt, oppugnarunt, omni auxilio ſpo liatũ eſſe uoluerunt. pro dom. Reſtitiſſes.) Clodio, paratis omnium ciuium animis ad tutandã tuam ſalutem, ut flagitioſus is haberetur, qui te non defenderet. Huc referri poteſt quod ſcribit Cic. in epiſt. long. ad Lent. lib. 1. epiſt. fam. Illud quidem certè noſtrum conſilium iure laudandum eſt, &c. Tete.) Congeminatio eſt ad maiorem affectum. Obteſtationem uerò põdus honeſti alicuius teſtimonij habere, nemo eſt qui neſciat. Patrij.) Noui etenim & alienigenæ dij, lege 12. tab. prohibebantur, quòd ignotæ cæremoniæ quandam religionis confuſionem adferant. Verba ſunt leg. 12. tab. apud Cic. lib. 2. leg. Separatim nemo habeſſit deos, néue nouos: Sed ne aduenas, niſi publicè adſcitos, priuatim colunto. Charior uit.) id maximè teſtatum reliquit Cic. orationibus Catil. Addam & illud quod ſcribit 2. de leg. Reſpublica, inquit, nomen uniuerſæ ciuitatis eſt, pro qua mori, & cui nos totos dare, & in qua omnia noſtra ponere, & quaſi cõſecrare debemus. Etenim ſi mihi.) Elegans ſimilitudo ducta à nauigantibus. Omnes nos in eadem naui Reip. ſumus, in qua quencunque locum teneamus, in eam partem eſt inclinandum, ad quam nos illius utilitas ſalúſque cõuerterit. Orat. pro Cn. Plan. Moris & illud fuit apud ueteres, ut in publicis calamitatibus unus aliquis deuoueretur cum imprecationibus, ut in eum reciderent, quæcunq; mala Reipub. impendebãt, atque is ſacer & execrandus dicebatur, ſicut apud Græcos ἀναγὴς: quod Ionæ prophetæ accidiſſe noſtræ literæ prodiderunt. Vect. neg.) in prædonum poteſtatem me uenire non paterẽ-

K

tur. Et uectores paſſiuè dixit pro iis qui unà ueherentur. ſic epiſt. Cũ ſubitò mihi dixiſſet Cæcilius. lib. 2. Epiſt. ad Attic.

Cùm uerò in hanc Reip. *nauem, ereptis* Senatui *gubernaculis fluitantem in alto tempeſtatibus ſeditionum ac diſcordiarum, armatæ tot claſſes, niſi ego unus deditus eſſem, incurſuræ uiderentur: cùm proſcriptio, cædes, direptio denunciarentur: cùm alij me ſuſpicione periculi ſui nõ defenderent, alij uetere odio bonorum incitarentur, alij inuiderent, alij obſtare ſibi me arbitrarentur, alij ulciſci dolorem ſuum aliquem uellẽt, alij rem ipſam publicam, atque hunc bonorum ſtatum otiúmque odiſſent, & ob haſce cauſas tot támque uarias me unum depoſcerent: depugnarem potius cum ſummo, nõ dicam exitio, ſed periculo certè ueſtro, liberorúmque ueſtrorum, quàm non id quod omnibus impendebat, unus pro omnibus ſuſciperem ac ſubirem? Victi eſſent improbi: at ciues, at ab eo priuato, qui ſine armis* Remp. *etiam* Conſul *conſeruarat. ſin uicti eſſent boni, quid ſupereſſet? nónne ad ſeruos uidetis* Rempub. *uẽturam fuiſſe?*

Ereptis Senatui gubern.) anteà dixit, Nullus erat Senatus, nihil reliqui magiſtratus. Et proxime antè, Senatum Cõſules credo uocaſſent, quem totum de ciuitate delerant: quo loco monendum fuit, poſt uocaſſent, in Cod. pleriſque interrogationem non adijci. Sic & Orat. pro dom. Cùm Senatum à gubernaculis deieciſſes, populũ è naui exturbaſſes, & c. atque in his omnibus nota eſt metaphora. Fluitantem.) iactatam. Naturale illud uidetur, ut nauis gubernatore deſtituta fluctuet, & miſere iactetur: ut de nauibus Aeneæ eleganter retulit Virg. 5. Aeneid. Palinuro ſubuerſo:

Tunc rauca aſſiduo longe ſale ſaxa ſonabant,
Cùm pater amiſſo fluitantem errare magiſtro
Senſit, & ipſe ratẽ nocturnis rexit in undis *Multa gemẽs.*

Claſſes.)

Claſſes.) Clodianæ,quæ mei unius deditionem, oppreſſionémque appetebant: ut unum pro multis daretur caput. Et incurſuras dixit, quòd in uniuerſam Remp. Clodius cum ſuis ſatellitibus & conductis operis impetum facturus uideretur. Proſcriptio.) cuius nomẽ miſerrimũ eſſe dicit Orat. pro dom. Proſcribit,qui tabellam aut libellũ aliquem rei uenali affigit,quo ea res ſignificetur eſſe uenalis. Cædes.) uide Cic.4.Paradox. Suſpicione periculi.) anteà dixit,inſultabat,terrore ac minis multos terrebat. Hic locus pluribus à Cic. explicatur orat.poſt red.ad Quirit.Cùm uiderim ex ea parte homines, &c. Inuiderent) ob ſeruatã à me patriam,& ampliſſima de mea laude decreta inde conſecuta. Quos Cicero inuidos habuerit, diximus ex lib.3.Epiſt.ad Att.& epiſt.long.ad Lent.lib.1.Epiſt.famil. Mos eſt hominũ,inquit Cicer.de Clar.orat.ut nolint eundẽ pluribus rebus excellere.id non ſine meo magno malo apud meos ciues ſum expertus,quos meæ gloriæ inuidos ſemper habui nullo certè meo merito,ſed norunt uiri boni quàm maximè ſit hoc commune uitium & peruagatũ. Obſtare.) quo minus omnia poſſent in Rep. & quiduis agerent pro animi libidine. Vlciſci.) à me pœnas expeterẽt cõiuratorum reliquiæ.Eſt & ulciſci ab iniuria uindicare, ut tam amicos,quàm inimicos ulciſci dicamur. Statum otiúmque odiſſ.) & quem niſi odiſſent,nunquam nobis inimici fuiſſent. Cicer.2.de legib. Vidimus qui niſi odiſſent,&c. At ciues.) ſic Cic. Orat.pro dom. Aut uiciſſem cum magna internecione improborum, ſed tamen ciuium. Sine armis.) ead.orat. Quòd ſi in iſto tuo maledicto,&c. Seruos.) fugitiuos & latrones dicit 4.Paradox.

An mihi ipſi, ut quidam putant, fuit mors æquo animo oppetenda? Quid? tum mortém ne fugiebam? an erat res ulla,quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas res tantas in tanta improborum multitudine cùm gerebam,non mihi mors,non exilium ob oculos uerſabâtur? non hæc denique à me, tum tanquam fata in ipſa re gerenda concinebantur? an erat mihi in tanto luctu meorũ, in tanta diſiunctione, tanta acerbitate, tanta ſpoliatione

omnium rerum, quas mihi aut natura, aut fortuna dederat, uita retinenda? tam eram rudis? tam ignarus rerum? tam expers conſilij, aut ingenij? nihil audieram? nihil uideram? nihil ipſe legendo quærendóque cognoueram? neſciebam uitæ breuem eſſe curſum, gloriæ ſempiternum? cùm eſſet omnibus definita mors, optandum eſſe, ut uita quæ neceſsitati deberetur, patriæ potius donata, quàm reſeruata naturæ uideretur? neſciebam inter ſapiẽtiſsimos homines hanc contentionem fuiſſe, ut alij dicerent animos hominum ſenſúſque morte reſtingui: alij autem tum maximè mentes ſapientum ac fortium uirorum, cùm è corpore exceſsiſſent, ſentire ac uigere? quorum alterum fugiendum non eſſe, carere ſenſu: alterum etiam optandum, meliore eſſe ſenſu.

An mihi ipſi.) negat ſe timuiſſe mortem, quæ potius pro Reip. ac bonorum ciuium ſalute optanda fuerit: in quam rem argumenta & exẽpla profert. Mortém ne fug.) quã metuiſſe turpe fuiſſet. Orat. pro dom. Illas res.) tantum furorem coniuratorum frangerem, omnia eorum nefaria tela retunderem, &c. ead. orat. Tanquam fata concin.) id eſt, nónne hæc ita euentura canebam? Vates cùm diuinãt, aut quid uenturũ ſit prænuntiãt, fata canũt. id facilè quis intelligat ex prædictione uatis Sibyllæ, quæ extat apud Virg. 6. Aeneid.

At Phœbi nondum patiens, &c.

Luctu meorũ.) uxoris Terentiæ, Tulliolæ filiæ, & Q. frat. quorum luctus ſceleratiſsimorum Conſulum mentes ſatiare non potuit. Legat qui uolet epiſtol. Accepi ab Ariſtocrito. lib. 14. Epiſt. famil.

Diſiunctione.) Orat. pro dom. An poteram cùm à tot rerum tãta uarietate diuellerer, &c. multũ etiam faciet ad huius loci explicationem epiſt. 10. lib. 3. Epiſt. fam. Natura.) Liberos & Q. fratrẽ natura dedit, fortuna uerò gloriam, ampliſsimas ac fundatiſsimas opes. Orat. pro dom. & epiſt. Acta quæ eſſent uſque ad VIII Cal. Iun. lib. 3. Epiſt. ad Att. Expers conſilij.) Quo reſp. inuicta ſtat. 5. Parad.

Parad.uide Fab. lib.6.Inſtitut.orat. cap.6. Ingenij.) cuius mihi magna à natura fuit facultas.epiſt. Acta quæ eſſent. Vitæ breuē.) huius uitæ quam in corpore degimus. Idem argumentum tractatur Orat.pro C.Rab.Perduell.& Tuſcul.1.Quid in hac Rep.tot tantóſque uiros,&c.Definita mors.) Moriendū eſt enim omnibus,ait Cic. 1.Tuſcul.& ob id mortem à Cicerone neceſsitatem hîc appellari facilè crediderim. Quid autem Platoni ſit neceſsitas,lib.10.de Rep. doctiſsimè explicat Lodoicus Regius in ſuis ad illum Gallicis notis. Eſt & Ciceroni neceſsitas,fatum Acad. 1. Partes autem eſſe mundi omnia,&c. Patriæ don.) Haud ſcio an huc referri poſsit, quod ſcribit Orat.pro dom. ei demum patriam charam eſſe, cuius ſalutem charitati ſuorum anteponit. Alij.) ut Epicurei & Cynici, quibus in uoluptatum cœno uolutari placet. Opinioſiſſimorū hominum diſſidentes ſententiæ de animæ immortalitate referuntur à Cicerone, 1.quæſt. Acad. Alij autem tum.) ut Academici, Peripatetici grauiſsimi aſſertores immortalitatis animæ. Illud non præterierim Stoicos, homines fanaticos exiſtimaſſe animas tanto corporum deſiderio teneri, ut diutiſsimè circa ſepulchra uolitarent & errarent: ut ſcribit Amm. philoſophus Peripatet. in interpret. Vocum Porphyrianarum. Sapientum ac fort.) quibus in cœlo paratus ſit locus, ubi beati ſempiterno æuo fruuntur, ait Cic.6.lib.de Rep.2.de leg.& Tuſcul.1.negat mortem eſſe interitum omnia tollētem atque delentem, ſed quandam quaſi migrationem commutationémque uitæ quæ in claris uiris & fœminis dux in cœlū eſſe ſoleat. Sentire & uig.) immortales eſſe.Cic.epiſt. Et ſi unus ex omnibus minimè ſum ad te conſ.&c.lib.5.Epiſt.fam.Vt ea,inquit,nō dicam, quæ ſæpiſsimè & legi & audiui,nihil mali eſſe in morte:in qua ſi reſideat ſenſus,immortalitas illa potius,quàm mors dicēda ſit:ſin ſit amiſſus,nulla uideri miſera debeat,quæ non ſentiatur. Meliore eſſe ſenſu.) hoc ſcilicet corpore liberati,quo illaqueata mens certi nihil uidet, ac ueluti per exiguas ſenſuum feneſtras umbram tantum ueritatis intuetur. Profectò illud & piè & uerè dicam, Nos tum demum beatos fore cùm corporibus relictis,cupiditatū & æmulationū erimus expertes.

Denique cùm omnia ſemper ad dignitatem retuliſſem,

nec ſine ea quicquam expetendum eſſe homini in uita putaſſem, mortem quam etiã uirgines Athenis, *regis opinor* Erechthei *filiæ, pro patria contempſiſſe dicuntur: ego uir* Conſularis *tantis rebus geſtis timerem? præſertim cùm eius eſſem ciuitatis, ex qua* Q. Mutius *ſolus in caſtra* Porſenæ *ueniſſet, eúmque interficere propoſita ſibi morte conatus eſſet? ex qua* P. Decius *primũ pater, poſt aliquot annos patria uirtute præditus filius, ſe ac uitã ſuam inſtructa acie: pro ſalute populi* Ro. *uictoriáque deuouiſſet? ex qua innumerabiles alij partim adipiſcendæ laudis, partim uitandæ turpitudinis cauſa mortem in uariis bellis æquiſsimis animis oppetiſsẽt? in qua ciuitate ipſe meminiſſem patrem huius* M. Craſſi *fortiſsimum uirum, ne uideret uictorẽ uiuus inimicum, eadem ſibi manu uitam exhauſiſſe, qua mortẽ ſæpe hoſtibus obtuliſſet?* Hæc *ego & multa alia cogitans, hoc uidebam: ſi publicam cauſam mea mors peremiſſet, neminem unquam fore, qui auderet ſuſcipere contra improbos ciues* Reip. *ſalutem.* Itaque *non ſolùm ſi ui interiiſſem, ſed etiam ſi morbo extinctus eſſem, fore putabam, ut exemplũ* Reip. *conſeruandæ mecum ſimul interiret.* Quis *enim unquam me à* Senatu *populóque* Ro. *tanto bonorũ omnium ſtudio nunc reſtituto, omnia adire pericula pro* Rep. *dubitabit?* Quod *certè, ſi eſſem interfectus, nunquam accidere potuiſſet, ut quiſquam ullam* Reip. *partem cum ſua minima inuidia auderet attingere.*

Ad dignitatem.) honeſtatẽ, ubi enim dignitas, niſi ubi honeſtas? epiſt. Quæſo, quid hoc eſt. lib. 7. Epiſt. ad Att. & 12. Epiſt. fam. ad Cornificium ſic ſcribit, Quamobrẽ te amoris noſtri cauſa rogo, Reip. cauſa adhortor, ut omnia referas ad dignitatem, qua nihil eſſe poteſt præſtantius.

præſtantius. Erechthei.) al. Erichthonij, al. etiam Erethei. Auctor fuit iungēdorum equorum ad plauſtra. Virg. 3. Georg. Filiæ.) Hic locus etiā tractatur à Cicerone. 1. Tuſcul. Sex numero fuerūt ex quibus duæ Protegenia & Pandora ingruente bello Bœotico pro ſalute patriæ ſe morti obtulerunt, mactandáſq; præbuerunt. Vide Cæl. Rhod. lib. 7. lect. Antiq. cap. 27. Et quod hic dixit pro patria, in eadem Tuſcul. haud diſſimili ſenſu dixit, pro uita ciuium. Q. Mutius.) Scæuola adoleſcens nobilis, cui indignum uidebatur populum Rom. liberū ab Hetruſcis obſideri. Liu. lib. 2. Decad. 1. quo loco pro C. Q. legas. Porſenæ.) Regis Hetruriæ ad quem extorres Tarquinij profugerant auxilij ergò, Liu. eod. lib. Conatus eſſet.) at ſcribam pro rege interfecit: Liu. P. Decius.) Mus pater, qui bello Latino Cōſul cum T. Manlio Torquato I I I laborantibus Ro. lubens morti ſe obtulit, ut penes exercitū Rom. uictoria ſtaret. Hiſtoria eſt apud Liu. lib. 8. Decad. 1. Flor. lib. 8. Epit. Poſt aliquot annos.) In medios hoſtes intulit ſe pater, ante urbem cond. 415. filius uerò 458. cōſul cum Q. Fabio Rutiliano eodē fato compulſus, quo pater. Liu. lib. 10. Decad. 1. tum aduerſus Hetruſcos, Vmbros, Samnites, Gallos pugnabatur. Flor. lib. 10. Epit. Salute populi Rom. deuo.) ut morte ſua deorū iram, & terrorem ab exercitu in hoſtes auerteret. Cæterum deuouere eſt ex uoto, Reip. uitam ſuam impendere. Deuotionis faciendæ ritum deſcribit Liu. lib. 8. Decad. 1. Ac in publicis calamitatibus unus aliquis deuouebatur cū imprecationibus, ut in eum reciderent, quæcunque mala Reip. impendebāt, & is deteſtabilis execrandus, & ſacer dicebatur. iam ſtrictim monui. uide, ſi placet, Seruium, Aeneid. 3. Auri ſacra fames.

Turpitudinis.) ne fortaſſis ſummo cum probro in hoſtium poteſtatem uenirent. Patrem.) P. Craſſum ualde probatum oratorem, qui & ingenio ualuit, & ſtudio. Cic. in Brut. Inimicum autem habuit P. Craſſus L. Cornelium Cinnam, qui urbem unà cum Mario ui occuparat: Cinnæ uerò cum M. Antonio homine eloquētiſſ. & Cn. Octauio conſtāter Craſſus obſtiterat. Exhauſiſſe.) ademiſſe, trāſfigens ſe gladiò, ne quid indignum ſua uirtute ab inimico Cinna pateretur. App. lib. 1. bell. Ciuil. Seruius 4. Aeneid. Virg. bella exhauſta interpretatur, terminata: eſt enim exhaurire, conſumere, exina-

nire,debilitare. Hoc uidebam.) negat quãuis mors oppetenda fuerit,eam tamen minime à ſe exoptandam fuiſſe, ne cæterorum animi poſtea à Rep.alieniores eſſent. ſi,inquit, in defendenda Rep.miſerè occubuiſſem. Exemplum.) documentum , ſpecimen . idẽ omnino eſſe uidetur cum eo,quod antea dixit, Cuius oratio uidebatur Reip. capeſſendæ auctoritatem,diſciplinámque præſcribere. A Senatu.) Orat.pro dom.Summum eſt populi Rom.populorúmque, &c. Tanto ſtudio.) Orat.in L.Piſ.Sed perge porrò.Nam ſi illud, &c.

Bonorum.) qui cum me reuocarunt, non ſolùm calamitatem detraxerunt,ſed & dignitatem auxerunt. Orat.poſt red.ad Quirit.

Inuidia Remp. atting.) Attingere Remp.regere eſt,quod certè uix ac ne uix quidem præſtari à quoquam poßit, quin in multorum offenſiones incurrat.

Seruaui igitur Remp.*diſceſſu meo* Iud.*cædem à uobis liberíſque ueſtris,uaſtitatem,incendia,rapinas,meo dolore,luctúque depuli,& unus* Remp.*bis ſeruaui,ſemel gloria, iterum ærumna mea : neque enim in hoc me hominẽ inficiabor unquam,ut me optimo fratre,chariſsimis liberis,fidiſsima coniuge,ueſtro conſpectu, patria, hoc honoris gradu,ſine dolore caruiſſe glorier . quòd ſi feciſſem,quod à me beneficiũ haberetis, cùm pro uobis ea quæ mihi eſſent uilia,reliquiſſem?*Hoc,*meo quidem animo,ſummi in patriam amoris mei ſignum eſſe debet certiſsimũ,quòd cùm abeſſe ab ea non poſſem ſine ſummo dolore, hunc me perpeti,quàm illam labefactari ab improbis malui.* Meminer*am* Iud.*diuinum illum uirum , atque ex iiſdem quibus nos radicibus natum ad ſalutem imperij huius* C.Mariũ, *ſumma ſenectute,cùm propè uim iuſtorum armorum profugiſſet, primò ſenile corpus paludibus occultaſſe demerſum : deinde ad infimorum ac tenuiſsimorum hominum Minturnis miſericordiam confugiſſe:inde nauigio perparuo,*

uo, cùm omnes portus terráſque fugeret, in oras Africæ deſertiſſimas perueniſſe: atque ille uitam ſuam, ne inultus eſſet, ad incertiſſimam ſpem, & ad Reip. *ſtatũ reſeruauit. ego qui (quemadmodum multi in* Senatu, *me abſente dixerunt) periculo* Reip. *uiuebam, quíque ob eam cauſam conſularibus literis de* Senatus *ſententia exteris nationibus commendabar: nónne ſi meam uitam deſeruiſſem,* Remp. *prodidiſſem? in quo quidem nunc me reſtituto uiuit mecum ſimul exemplum fidei publicæ, exemplum* Reipub. *defendendæ. Quòd ſi immortale retinetur, quis non intelligit immortalem hanc ciuitatem futuram?*

Diſceſſu.) mea miſera & calamitoſa profectione. exilio non dixit, quòd nihil de eo latũ unquã iure fuerit, at potius ſumma cum dignitate abfuerit. Orat. poſt red. ad Quirit. & orat. pro dom. Depuli.) uide initium 3. Catil. & Orat. in L. Piſ. Ego tela extremo mẽſe Conſulatus mei, &c. Bis ſeruaui.) Orat. pro dom. Quare diſrumpatur, licet iſta furia, &c. Aerumna mea.) meo diſceſſu, amandationéque ac lege de mea pernicie à Clodio lata. Hominem inficiabor.) quod dixit ſe ærumna ſua Remp. ſeruaſſe, explanat. Nõ ego, inquit, is ſum qui nullo dolore affici potuerim, aut omnẽ animi ægritudinem, & communem naturæ ſenſum repudiare. Orat. pro dom. Ridicula eſt Stoicorum ἀπάθεια: optimus quiſque στοργὰς φυσικὰς probat & agnoſcit. Optimo fratre.) Q. Cicerone, Orat. pro dom. qui mihi pietate filius inuentus eſt, beneficio parens, amore idẽ qui ſemper fuit, frater. Orat. poſt red. ad Quirit. Coniuge.) Terẽtia, quam Ciceronis inimici omni crudelitate lacerarunt. ead. pro dom. Orat. & lib. 14. Epiſt. fam. Patria.) qua nihil mihi charius in uita fuit.

Honoris gradu.) Conſularis, adeò ut in Rep. regnare exiſtimarer epiſt. Amoris quidem tui. lib. 7. Epiſt. famil. Glorier.) tunc enim potius duritiem animi ac ſtuporem quàm uirtutem aliquam oſtẽdiſſem. Meo animo, id eſt, ut meus eſt ſenſus, iudicio meo: Gallic. ſelon mon opinion. Labefactari ab improbis.) qui ſi uictus fuiſſem,

eam miſerè oppreſsiſſent, & in extremum rerum omnium diſcrimen uocaſſent. Diuinum.) fortiſsimum. Orat. poſt red. ad Quirit. nõ ſolùm humana, ſed & diuina uirtute prædítum. Ex iiſdem radic.) municipem meum. ead. Orat. Arpinum Volſcorũ oppidum M. Tullij & C. Marij. natalibus gloriatur: Plutarch. & Cic. 3. Agrar. Tantũ amplitudinis Ciceroni Arpinates detulerunt, ut in illius honorẽ tres literas M. T. C. pro ſigno publico conſcripſerint. Et notãda eſt in uerbo radicibus elegans metaphora. Sic & alio loco Cic. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur. Salutẽ imperij.) ut qui Teutones, Cimbros, Tigurinos hoſtes populi Rom. profligant. Plutarch. in Marc. & Oroſ. lib. 5. cap. 16. Senectute.) Orat. poſt red. ad Quirit. Quòd ſi quis exiſtimat, me aut uoluntate, &c. Iuſtorum armorum.) quæ in eum iure ſuſcepta uideri poterant, quippe æquum uideretur Syllam, qui tam ſtrenuè ac fœliciter bellum ſociale confecerat, bello quoque Mithridatico gerendo præfici. Oroſ. lib. 5. cap. 18. Eutrop. lib. 5. Demerſum.) ut ſe uitámq; ſuã tueretur. ead. ad Quirit. Orat. App. lib. 1. bell. Ciuil. Minturnis.) Paluſtri oppido Campaniæ. Iuuenal. Satyra 10.

Exilium, & carcer, Minturnarúmque paludes.

Liu. lib. 10. Decad. 1. Coloniam eſſe dicit. & Horatius lib. 1. Epiſtol. in quadam ad Torquatum epiſtola:

Vina bibes, inquit, iterum Tauro diffuſa, paluſtreis
Inter Minturnas, Sinueſſanúmque Petrinum.

Ora Afric.) Hoc eſt, in Africam, in qua tum agebat filius Marij adoleſcens, paternæ calamitatis ſocius. Orat. poſt red. ad Quirit.

Deſertiſsimas.) Facilè exiſtimarim deſertam Africam à Cicerone dici ob feritatem incolarum, quòd ut ait Volaterr. primi Getuli, & Libyi inculti, & immanes eam coluerint: uel deſertã dicit, quòd incolis careat ob nimiam ſiccitatem. unde illud Virg. 4. Aeneid.

Hinc deſerta ſiti regio.

Reip. ſtatum.) miſerè perturbandum & concutiendum. Nam Cinnæ Conſuli ſocietate ſcelerum coniunctus, exercitu parato ducibus Cn. Carbone, & Sertorio urbem ingreſſus Rempub. concuſsit, nobiliſsimos quoſque Senatores, ac plurimos conſulares uiros interfecit, ac reditu ſuo uniuerſum penè Senatũ deleuit. Orat. poſt red. ad Quirit.

rit.

rit.& in Sen. Periculo Reip.uiuebam.) cùm in mea ſalute,ciuitatis ſalus contineretur,& mea quidem uita Reip.ſalutaris,mors dãno eſſet futura.Sic apud Plaut. in Caſ. act.2.Chal.ait,

Liber ſi ſim periculo meo uiuam,nunc uiuo tuo.

Conſularibus literis.) quibus me ſummi & conſulares uiri exteris nationibus commendarunt. Idem omnino ſcribit Cic.Orat.in L.Piſ.

Fidei publicæ.) cùm mihi bono ciui Reſp.ipſa à me defenſa adfuerit,quibus potuit opibus ſuſtentarit:eadẽ omnino factura, ſi quando reliqui boni ciues ab improbis in diſcrimen uocentur. Immortalem ciuitatem futuram.) quòd nunquam ſint defuturi, qui eam propugnent,& ab internecione uindicent..

Nam externa bella regum,gentium,nationum iampridem ita extincta ſunt,ut præclarè cum iis agamus, quos pacatos eſſe patiamur: denique ex bellica uictoria nõ ferè quicquam eſt inuidia ciuium conſecuta: domeſticis malis,& audacium ciuium conſiliis ſæpe eſt reſiſtendum: eorúmque periculorum eſt in Repub. *retinenda medicina: quam omnem* Iud *perdidiſſetis,ſi meo interitu Senatui populóque* Rom. *doloris ſui de me declarandi poteſtas eſſet erepta.Quare moneo uos adoleſcentes,atque hoc meo iure præcipio,qui dignitatem,qui* Rempub. *qui gloriã ſpectatis,ne ſi qua uos aliquando neceſſitas ad* Remp. *contra improbos ciues defendendam uocabit,ſegniores ſitis, & recordatione mei caſus à conſiliis fortibus refugiatis.* Primũ *non eſt periculum,ne qui unquam ſint in ciuitate eiuſmodi* Conſules: *præſertim ſi erit iis id quod debetur perſolutũ.* Deinde *nunquam,ut ſpero, quiſquam improbus conſilio & auxilio bonorum ſe oppugnare* Rempub. *dicet: illis tacentibus,nec armati exercitus terrorem opponet togatis: neque erit iuſta cauſa ad portas ſedenti imperatori, quare*

terrorem ſuum falsò iactari, opponíque patiatur: nunquã enim erit tam oppreſſus Senatus*, ut ei ne ſupplicãdi quidem ac lugendi ſit poteſtas: tam captus* Equeſter ordo*, ut* Equites Rom*, à* Conſule *relegẽtur.* Quæ *cum omnia, atq; etiam multo alia maiora, quæ conſultò prætereo, accidiſſent, uidetis me tamen in priſtinam meam dignitatem, breui temporis dolore interiecto,* Reip. *uoce eſſe reuocatum.*

Nam externa.) collatione domeſticorũ periculorũ cum externis docet, quàm Reipub. profuerit, ut qui eam inteſtinis malis liberarit.

Pacatos eſſe patiamur.) quos bello non prouocemus. Hinc fœlix Scythia dicitur ab hiſtoricis, quòd ea Romanorum arma nõ audierit, aut ſenſerit: item Sarmatia tota, & quicquid eſt orientalis plagæ ultra Euphratem. Non ferè quicquam.) Sana erit lectio, ſi, quenquam, reponas: ut ſit ſenſus, nulli ciuium infenſus, aut inuidioſus is fuit, qui populo Rom. uictoriam peperiſſet ac reportaſſet: ut illa Germanici & Ald. codicis lectio, nõ ferè quam eſt inuidia, &c. nõ placeat. Domeſticis malis.) quæ multo periculoſiora ſunt, quàm externa, ut ait Cicer. Orat. I. in Rull. non rex, non gens ulla, non natio, &c. Medicina.) is tuendus ac retinendus ciuis, qui improborum conatibus obſtet, & eorum audaciam frangat. Si meo interitu.) hoc eſt, ſi ego interiiſſem. Meo iure.) ut qui Conſularis uir ſim, & diu in Repub. uerſatus, ut hoc auctoritatis merito mihi uendicẽ. Sic Terent. in Adelph.

Non habeo neceſſe omnia pro meo iure agere.

A Conſiliis fortibus refug.) à forti, conſtantique Reipub. defenſione. Sic & Phocion Athenienſis filium monuit: cùm is capitis damnatus rogaretur, uellét ne filio quid dicere, aut præcipere (nam & is aderat) Ego, inquit, fili, tibi præcipio, atque etiam obſecro, ne quid ob huius rei memoriam Athenienſibus malè cupias, né ue ab honeſtis ac Reipub. ſalutaribus conſiliis refugias. Eiuſmodi.) tam improbi ac ſcelerati, ut Piſo & Gabinius fuêre, qui me bonũ ciuem & Reip. ſtudioſum miſerrimè uexarunt, amandarunt, & à iucundiſſimo patriæ amplexu diſtraxerunt. Perſolutum.) Si Gabinius

& Piſo

& Piſo pœnas Reip.meritas dederint,ut eorum exemplo cæteri auocentur à nefariis conſiliis, ſintque(ut ait Cic.lib.1.Offic.)ad iniuriam inferendam tardiores.Cæterum iuſtitiæ diſtributiuæ,quam Ariſtoteles lib.5.Ἠθικ.Νικ. διανεμητικὴν appellat,tribuitur pœnarum & præmiorum diſtributio,pro ratione & uarietate meritorum.& ſcelerum. Quiſquam improbus conſilio bon.oppugnare.) ut Clodius, qui iactabat ſe quæ faceret contra me, bonorum ciuium auxilio facere ſe.Et oppugnare inuidioſe admodum dixit, cùm uerè de caſtris & urbibus obſeſſis dicatur. Opponet.) obiiciet. ſic Orat.pro L. Mur. ad omne periculum,atque omnem inuidiam opponi. Ac per Togatos, non Senatores tantùm aut conſulares uiros, ſed quoſcunque publicæ ſalutis ac tranquillitatis ſtudioſos ciues intelligo.Virgil. lib.1.Aeneid. Romanos Gentem togatam dicit,quòd ut ſcribit Ser. Omnis ſexus & conditio toga uteretur. Sedenti imperatori.) in urbe hærẽti,ut tum Cæſar cum exercitu hærebat, quaſi Senatui uicẽ Ciceronis dolenti uim facturus. Captus.) oppreſſus, circunſeptus ab improbis.à captiuis ſeu exercitu hoſtium circunclufis ducta metaphora. Relegatum autem fuiſſe Aelium Lamiam Equitem Rom. iam diximus. Priſtinam dignitatem.) Sic enim ſcribit epiſt.1.lib. 4.Epiſt.ad Att. Nos adhuc in noſtro ſtatu, quod difficillimè recuperari poſſe arbitrati ſumus,ſplendorem noſtrum illum forenſem,& in Senatu auctoritatem, & apud bonos uiros gratiam,magis quàm optaramus, conſecuti ſumus. Breui temporis dolore.) Cùm App. lib.2.bell.ciuil.ſcribat, Ciceronem reuocatum fuiſſe, ac reſtitutum ſexto decimo poſt expulſionem menſe exacto. exiiſſe autem menſe Aprili plerique coniiciunt,ex epiſt.Itineris noſtri cauſa fuit.lib.3. Epiſt.ad Att. Reip.uoce.) omnium ciuium uoluntate, ſummo ac incredibili conſenſu,acclamationéque. epiſt.1.lib.4.Epiſtol.ad Att. & Orat.poſt red.in Sen.ad fin.orat.

Sed ut reuertar ad illud, quod mihi in hac omni eſt orationе propoſitum, omnibus malis illo anno ſcelere Conſulum Rempub.*eſſe confectam: primum illo ipſo die, qui mihi funeſtus fuit,omnibus bonis luctuoſus,cùm ego me è*

complexu patriæ, conſpectúque ueſtro eripuiſſem, & metu periculi ueſtri, non mei, furori hominis, ſceleri, perfidiæ, telis, minísque ceßiſſem: patriámque quæ mihi erat chariſsima, propter ipſius patriæ charitatem reliquiſſem: cùm meum illum caſum tam horribilẽ, tam grauem, tam repentinum, non ſolùm homines, ſed tecta urbis ac templa lugerent: nemo ueſtrum forum, nemo curiam, nemo lucem aſpicere uellet: illo, inquam, ipſo die, die dico? imo hora atque etiam puncto temporis eodem, mihi Reíque *publicæ pernicies,* Gabinio & Piſoni *prouincia rogata eſt.* Prò *dij immortales cuſtodes & conſeruatores huius urbis atque imperij: quænã illa in* Repub. *monſtra, quæ ſcelera uidiſtis? ciuis erat expulſus, is qui* Remp. *ex* Senatus *auctoritate cum omnibus bonis defenderat: & expulſus non alio aliquo, ſed eo ipſo crimine: erat autem expulſus ſine iudicio, ui, lapidibus, ferro, ſeruitio denique concitato: lex erat lata uaſtato ac relicto foro, & ſicariis ſeruíſque tradito: & ea lex, quæ ut ne ferretur,* Senatus *fuerat ueſte mutata.*

Sed ut reuertar.) quippe locum ſatis prolixũ interpoſuerit, quare Clodio & Conſulibus ſibi reſiſtendum non putarit, & à Rep. abeſſe maluerit: nunc redit ad explicationem illius publici naufragij, in quo colligendo antea dixerat, uerſatum eſſe Sextij tribunatum, id igitur explanat: & illum annum dixit, quo diſceßit, furente P. Clodio Tribuno pleb. Confectam.) miſerè afflictam, perditam. Eſt & confecta res, perfecta. Orat. de prouinc. conſ. bellum effectum uidemus, & uere, ut dicam, penè confectum. Veſtri periculi.) ne ſi decertaſſem, & Clodio reſtitiſſem mecum conciderετis. Orat. pro dom. ac ne propter me unum ciuium uulneribus Reſp. cruentaretur. Orat. poſt red. in Sen. Non mei.) qui mortem non timuerim: & hominem Clodium intelligit, quem etiam furiam ſæpe nominat. Perfidiæ.)

diæ.) qui Pompeio promiſiſſet, nihil ſe contra me in Tribunatu eſſe facturum. epiſt. Multa me ſollicitant. lib. 2. Epiſt. ad Att. Chariſſima.) ut pote, qui illius ſalutem, meorum charitati prætulerim. Orat. pro dom. Templa quæ dij ipſi meo labore, & conſilio tenuerunt. ead. Orat. atque ut me expulſo lugebant, ita reſtituto lætabantur. Orat. in L. Piſ. Tecta.) à quibus flammas depuli. In Catilin. & in Piſ. Nemo forum, curiam.) Hoc illud eſt quod dicit Orat. poſt red. in Sen. Mutum forũ, elinguem curiam, tacitam & fractã ciuitatem uidebatis. Puncto tẽporis.) ead. Orat. & Orat. pro dom. Punctum temporis cùm dicimus, breuiſſimum tempus intelligimus. obſeruandum & illud etiam, puncta Ciceroni ſuffragia eſſe, cum duplici uia ac ratione ſuffragium ferretur uoce, ac tabella cærata, in qua qui ſuffragium ferebant, puncta faciebant. Cicer. 2. Tuſcul. Quid de noſtris ambitionibus, quid de cupiditate honorum? &c.

Rogata eſt.) id eſt, per legem Clodianam decreta, ut præmium quoddam eſſet interitus Reipub. Orat. in L. Piſ. Dij cuſtodes, & conſeruatores.) Præſides dicit Catil. Nam primum debeo ſperare, &c. & rem Romanam non tam arma, quàm dij præſides tuebantur, inquit Liu. lib. 1. Decad. 1. Ex Senatus auctoritate.) Orat. pro dom. Ego uerò Reip. ſemper intereſſe putaui, &c. Auctoritas uerbũ eſt confirmationis, qua niti dicimus quod actum geſtúmue eſt: ſicuti apud Iureconſ. dicitur rei iudicatæ auctoritas, qua nititur ipſa executio. Eo ipſo crimine.) quòd Rempub. defendiſſem, & coniuratorum furorem oppreſſiſſem: neque enim ea quæ in conſulatu geſſi (ait Cic. Orat. pro dom.) quis peccata eſſe dicit. Sine iudicio.) Cic. ead. Orat. Quid miſeriùs quàm qui neque adeſſe, &c. Seruitio cõcitato.) ſeruis ad faciendam cædem, ac diripiendam Rempub. concitatis. epiſt. long ad Lent. lib. 1. Epiſt. famil. Poſtea cum tu Hiſpaniã citeriorem, &c. & Orat. pro dom. de meo capite, inquit, liberis, fortunis omnibus conducti, & ſicarij egentes & perditi ſuffragium ferebant. Vaſtatum autem è Clodianis forum fuit, relictũ à bonis propter uim Clodianam. Vaſtare, depopulari eſt, & diripere. Agros uaſtare, atque exinanire dixit in Ver. Ea lex.) ut mihi aqua & ignis interdiceretur, & ne reciperer. Orat. pro dom. & epiſt. 1. lib. 3. Epiſtol. ad Atticum.

Hac tanta perturbatione ciuitatis ne noctem quidem Conſules inter meum diſcrimen, & ſuam prædam intereſſe paſſi ſunt: ſtatim me perculſo, ad meum ſanguinem hauriendum, & ſpirante etiam Repub. *ad eius ſpolia detrahenda aduolauerũt.* Omitto *gratulationes, epulas, partitionem ærarij, beneficia, ſpem, promiſſa, prædã, lætitiam paucorum in luctu omnium.* Vexabatur *uxor mea, liberi ad necem quærebantur, gener, &* Piſo *gener, à* Piſonis *cõſulis pedibus ſupplex reijciebatur, bona diripiebantur, eáque ad* Conſules *deferebantur, domus ardebat in palatio,* Conſules *epulabantur. Quòd ſi meis incommodis lætabantur, urbis tamen periculo commouerentur.*

Hac tanta perturbatione.) afflicto Senatu, uaſtato foro, Equitibus perterritis, populo grauiter permoto. Orat. poſt red. in Sen.
Noctem.) horam dicit. ead. Orat. Diſcrimen.) meam peſtem. ead. Orat. Sanguinem hauriendum.) exorbendum, meas fortunas diripiendas. Spirante.) quaſi animam agẽte, necdum penitus extincta. Ita & ſpirantis mortui effigiem ſe dicit. epiſt. Mi frater. lib. 1. Epiſt. ad Quint. fratrem. Gratulationes.) quaſi re bene geſta. Orat. pro dom. & in L. Piſ. Quid ego illorum dierum epulas, &c.
Partitionem ærarij.) Orat. poſt red. in Sen. duobus impiis, nefariiſque Conſulibus ærarium, &c. & Orat. pro dom. Porrò in æde Saturni ærarium aſſeruabatur. Macrob. lib. 1. Saturnal. Epulas.) & intẽperatiſſimas perpotationes. Orat. in L. Piſ. Beneficia.) priuilegia, immunitates, gratias etiam dicimus. Sic etiam accipi debet in reſcripto Leonis imp. Tit. de Primic. & Secundicerio lib. 12. Cod. Iuſtin. Præclaram, inquit Leo, nobilémque militiam ſpectabilium Tribunorum, diuerſis beneficiorum titulis muniẽdam credimus. Sic & apud Iabolenum L. ult. de conſtitut. Principum lib. 1. D. & apud Ciceronem. 2. Philipp. Vexabatur.) & omni crudelitate lacerabatur. Orat. pro dom. Vxor.) Terentia. ead. Orat. Liberi.) ead. Orat. Gener & Piſo gener.) Cn. Piſo frugi, de quo iam diximus:

hæc autẽ repetitio exaggerat, cũ huius Piſonis Ciceronis generi propinquitate, Piſo Conſul moueri debuerit, ut illius ſaluti bene cõſultũ eſſe uellet. Gallis eſt, Mon gendre, uoire Piſo mon gendre, ſon parent. Huc pertinet quod ſcribit Cic. Orat. poſt red. ad Quirit. Cn. Piſonis generi mei diuina quædam, &c. & Orat. poſt red. in Sen. Alter fuit propugnator mearum fortunarum, &c. Conſulis.) propinqui ſui: ead. ad Sen. Orat. Reiiciebatur.) ead. orat. & Orat. in L. Piſ. Tu meum generum propinquum tuum, tu affinem tuam, &c. Deferebãtur.) Orat. pro dom. Sed quid ego ueſtram crudelitatem expromo, &c. & Orat. poſt red. in Sen. Ardebat.) non fortuito, ſed oblato incendio. ead. pro dom. Orat. In palatio.) atque adeò in pulcherrimo urbis loco. ead. Orat. & epiſt. 2. lib. 4. Epiſt. ad Att. Mihi palatium domus eſt principis: & Palatini, principis domeſtici.

Sed ut à mea cauſa iam recedam, reliquas illius anni peſtes recordemini: ſic enim facillimè perſpicietis, quantam uim omnium remediorum à magiſtratibus proximis Reſp. *deſiderarit contra legum multitudinem, cùm earum quæ latæ ſunt, tum uerò quæ promulgatæ fuerunt.* Nam *latæ quidem ſunt* Conſulibus *illis, tacẽtibus dicam? imò uerò approbantibus etiam: ut* Cenſoria *notatio, & grauiſſimum iudicium ſanctiſſimi magiſtratus tolleretur de* Repub. *ut collegia non modò illa uetera contra* S.C. *reſtituerentur, ſed ab uno gladiatore innumerabilia alia noua conſcriberentur: ut remiſſis ſemiſſibus & trientibus, quinta propè pars uectigalium tolleretur: ut* Gabinio *pro illa ſua* Cilicia, *quam ſibi, ſi* Rempub. *prodidiſſet, pactus erat,* Syria *daretur: ut uni helluoni bis de eadem re deliberandi eſſet poteſtas, rogata lege, legem ferret prouinciæ commutandæ.* Mitto *eam legem, quæ omnia religionũ iura, auſpiciorum, poteſtatum, omnes leges quæ ſunt de iure, & de tempore, legum rogandarum, una rogatione*

deleuit: mitto omnem domeſticam labem, etiam exteras nationes illius anni furore conquaſſatas uidebamus. Lege Tribunitia Matris Magnæ Peſsinuntius *ille ſacerdos expulſus & ſpoliatus ſacerdotio eſt, fanúmque ſanctiſſimarum atque antiquiſſimarum religionum uenditum pecunia grandi* Brogitaro *impuro homini, atque indigno illa religione, præſertim cùm ea ſibi ille non colendi, ſed uiolandi cauſa appetiſſet: appellati* Reges *à populo, qui id nunquam ne à* Senatu *quidem poſtulaſſent: reducti exules* Byzantium*, condemnati, tum cum indemnati ciues è ciuitate eiiciebantur.*

A mea cauſa.) expulſione amandationéque. Et, peſtes, mala & incommoda dixit. Magiſtratibus proximis.) mox proximè creatis, cùm exacto anno Clodius & Conſules duo Gabinius & Piſo omnē poteſtatem depoſuiſſent. Intelligit autē P. Sextium, Milonem Tribunos pleb. & Conſules P. Cornelium Lentulum, & Q. Metellum Nepotem. Deſiderarit.) ut illa uulnera ſanarent, quæ anno ſuperiori ſcelerati magiſtratus inflixerant Reip. Contra legum multitudinem.) In omnibus codicibus deſiderabatur, Contra, nos adiecimus: & Clodianas leges intelligit. Promulgatæ.) quippe leges antequam ferrentur, promulgabantur per Trinum nundinum, ut populo ſpatium daretur ad eas agnoſcendas & diſcutiendas. Orat. pro dom. Promulgatæ autem in ærarium deferebantur, in eóque diligēter aſſeruabantur. Ait lex 12. Tabul. Promulgata propoſita, in ærario cognita ſunto. His, ſi placet, addas Suet. in Iul. Cæſ. Tacentibus dicam.) Totus hic locus miſerè eſt contaminatus in Ald. codice.

Cenſoria notatio.) animaduerſio. Orat. pro A. Cluent. al. notio. Ciues ſic notabāt, ut qui Senator eſſet, Senatu moueretur. Ait enim lex 12. Tabul. ea de re diſertè ſcripta, Probrum in Senatu ne relinquunto. qui Eques, publicum equum perderet: qui Plebeius, ærarius fieret, & in albo ſuæ Centuriæ nō eſſet. Verba legis 12. Tabul. hæc ſunt: Mores populi regunto. Bini ſunto. Sed & Cenſoribus legis

ſeruandæ

ſeruandæ cura demandata fuit. uide Cic.lib.2. legum. Sanctiſſimi.) ſeueriſſimi,integerrimi. Plutarchus in Aemil. & Liu.lib.4. Decad.3.Val.Max.lib.2. cap.4. Magiſtratus.) Ego magiſtratũ cum Aemilio Ferreto Iureconſ. ſic non omnino malè definiri poſſe puto,ut ſit poteſtas populi Rom.ordinaria,ut eos excludamus,qui extra ordinem in urbe creantur,de quibus Pomponius in L.2. de orig. Iur.& eos qui in prouincias mittuntur,procoſſ.proprat.præſides. eæ nanq; poteſtates extraordinariæ ſunt. Tolleretur.) ac nominatim quidem contra legẽ 12. Tabul. Eáque poteſtas ſemper eſto.Tulerat pernicioſam Reip.legem Clodius,Ne quem Cenſores in Senatu legẽdo præterirent,né ue qua ignominia quenquam afficerent,quò impro bis omnia licerent.Orat.in L.Piſ.An poteſt ulla eſſe excuſatio, &c.

De Rep. cum quadringentos annos iudicium Cenſorum Romani tenuiſſent. ead. Orat. Collegia, concilia ſunt eorum,qui eundem honorem gerunt,geſſerúntue: ſed & eorum qui idem tractant artificium. Gladiatore.) P.Clodio.Orat.poſt red.in Sen. Alia noua.) collegia,& conuentus illiciti,conſcriberentur, hoc eſt, cõſtituerentur. Vt remiſſis ſemiſſibus.) Clodius legem tulerat frumentariam,ut populo Rom.frumentum gratis præberetur,cùm antea modò trientibus,modò ſemiſſibus daretur. Aſcon.in Mil. id fecerat Clodius,ut popularis uideretur.Quid Semis,quid Triens docent Iurecõſ. Tit.de hæred.inſtituẽd.lib.2.Inſtitut.& Varro,lib.4.de lingua Lat.

Cilicia.) quæ iam illi decreta fuerat. Syria.) opulẽtior multo: ut Orat.pro dom.opimam,fertilémque Syriam dicat, hunc eundem locum explicans.De Syria ſcribit Amm.Marcel.lib.23.& Plinius lib.12.cap.5. Nõ deſunt, qui Syrios Aſſyrios nũcupẽt,& illis Chaldæos adnumerant. Bis de eadem re deliberandi.) quod ſummũ fuit leuitatis argumentum.Inde Auguſtus populo Rom.honeſtè gratificari uolens, pollicebatur ſe imperij ſucceſſorem relicturum,qui nunquam bis de eadem re conſultaret. de Tyberio ſentiens. Sed & hoc disertè cautũ erat legibus.12.Tab. Ait lex: Nec plus quàm de ſingu lis rebus ſemel conſulunto. Legem.) aliam ac diuerſam ferret, ut pro Cilicia Syriam opimam Gabinius haberet. Religionum iura.) cùm etiam feſtis diebus legem ferri uellet, atque ita ſtatas ſolennéſque cæremonias,& feriatos dies uiolaret. Auſpiciorum.) lege lata,ne

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

de cælo ſeruaretur, néue obnuntiaretur: hácque ratione ſublata erat lex 12. Tab. cuius uerba ſunt, Qui agent, auſpicia ſeruanto. Poteſtatũ.) magiſtratuum. uide reſponſum Pauli in L. poteſtatis uerbo. De uerb. ſignificat. D. Tempore legum fer.) cum diebus faſtis & nefaſtis nullo diſcrimine ſeruato leges ferri lege lata Clodius uoluiſſet. De iis ſcribit Ouid. lib. 1. Faſt. Et Tribunitiã legem dicit, hoc eſt, à Clodio Tribuno pleb. latam. Magnæ matris.) deorum Cybeles, unde illius ſacra μητρῷα dicebantur. Cœl. Rhodig. lib. 10. cap. 17. uar. lect. Cur è Peſsinunte Romam ſit aduecta, docet Liu. lib. 9. Decad. 3. Iam Comitiorum appetebat tempus, &c. Sacerdos.) Deiotarus Rex Gallogræciæ maximus auſpiciorum interpres. lib. 2. De diuinat. & unus in orbe terrarum fideliſsimus huic imperio, atq; amãtiſsimus noſtri nominis. Orat. de Aruſp. reſp. Expulſus, ſpoliatus.) Totus hic locus explicatur à Cicerone. ead. de Aruſp. reſp. Orat. Hac igitur uate ſuadente, &c. Improbo.) nefario, & cuius legati in æde Caſtoris operis Clodianis nummos diuidebant. ead. Orat. A populo.) idque per legem Clodiam, quod à ueteri legum præſcripto alienũ erat. A Senatu.) cuius erat eos reges nominare, quos Reip. ſtudioſos agnoſceret. Sic Maſiniſſa Rex nominatur apud Liu. lib. 10. Decad. 3. & Deiotarus filius. epiſt. Accepi Roma ſine epiſtola tua. lib. 5. epiſt. ad Att. Ariouiſtus, item lib. 1. Comment. bell. Gall. & Ptolomæus ſocius, lib. 3. de bello Ciuili. Exules.) patiaris me coniicere ob tumultum aliquem ac domeſticam ſeditionem ciues aliquos Byzãtinos exilio mulctatos, reuocatos fuiſſe, & ſedibus reſtitutos à Clodio. Byzantium.) urbem imperio Rom. fideliſs. Orat. de aruſp. reſp. Thraciæ ciuitatem eſſe omnes norunt à Cõſtantino magno Conſtantinopolim nuncupatam, expugnatam uerò à Turca, anno ſalutis 1453. Iuſtin. lib. 4. Plinius lib. 4. cap. 11. Cornel. Tacit. lib. 12. Indemnati ciues.) ut ego, & Aelius Lamia Eques, non citati aut accuſati. hæc ex Orat. pro dom. peti poſſunt..

Rex Ptolomæus, *qui ſi nondum erat ipſe à* Senatu *ſocius appellatus, erat tamen frater eius* Regis, *qui cùm eſſet in eadem cauſa, iam erat à* Senatu *honorem iſtum cõſecutus: erat eõdem genere, iiſdémque maioribus, eadem*

uetuſtate

uetuſtate ſocietatis: denique erat rex, ſi non ſocius, at non hoſtis, pacatus, quietus, fretus imperio populi Rom. *regno paterno atque auito, regali otio perfruebatur.* De *hoc nihil cogitante, nihil ſuſpicante, eiſdem operis ſuffragium ferentibus, eſt rogatum, ut ſedens cum purpura & ſceptro, & illis inſignibus regiis præconi publico ſubiiceretur: & imperante populo* Rom. *qui etiam bello uictis regibus regna reddere conſueuit,* Rex *amicus, nulla iniuria commemorata, nullis repetitis rebus cum bonis omnibus publicaretur: multa acerba, multa turpia, multa turbulenta habuit ille annus: tamen illi ſceleri, quod in me illorum immanitas edidit, haud ſcio an hoc rectè proximum eſſe dicam.* A*ntiochum illum magnum maiores noſtri magna belli contentione terra, maríque ſuperatum, intra mõtem* T*aurum regnare iuſſerunt.* A*ſiam qua illum mulctarunt,* A*ttalo, ut is regnaret in ea, condonauerunt.*

Rex Ptolomæus.) Cypri rex fuit. Orat. pro L. Flac. Patruus Cleopatræ. Strab. lib. 14. Cæterum Ptolomæorum Aegyptiorum regum ordinem ac nomenclaturam uidere eſt apud eundem. Strab. qui cùm uniuerſam Aegyptum perluſtrarit, facilè illi aſſentior. Nondum ſocius appellatus.) fuit autem poſtea, ut iam monui ex lib. 3. bell. Ciuil. Cæſ. Eius regis.) Ptolomæi Auletæ regis Alexãdrini, qui pulſus ob ignauiam, quòd publicè in habitu regio tibiis certare cum artificibus ſoleret, unde αὐλητὴς dictus, poſtea ſuáſu Pompeij Magni per Gabinium, in regnum fuit reſtitutus, interfecto Archelao, qui interea regnarat. aliam expulſi regis cauſam ſcribit Oroſ. lib. 5. cap. 10. In eadẽ cauſa.) hoc eſt, interprete Cicerone in Orat. pro dom. eodem iure regnaret, quo ille Alexandrinus. In eadem cauſa regni uterque Ptolomæus erat. cum beneficio populi Rom. uterque regnaret, ac in eius tutela eſſent, & utriuſque dignitatem populus Rom. æquè tueretur. Eadem omnino ſcribit Cic. Orat. pro dom. Conſe-

cutus.) iam ſocius appellatus, eo etiam in priſtinum regum ſplendorem reſtituto. epiſt. 1. lib. 1. epiſt. fam. Eodem genere.) Regio Ptolomæorum regum Aegypti. Vetuſtate ſocietatis.) Antiocho Magno Agyptum uaſtante, Aegyptij per legatos in ſocietatem, atque adeò tutelam Senatus ac populi Rom. ſe contulerunt, tum (ni fallor) regnante Ptolomæo Epiphane, qui infans patri ſucceſſerat. Si non ſocius.) corruptè legitur in Ald. & Norico Cod. Eadem uetuſtate ſocietatis: denique erat rex, ſed nondum ſocius. Fretus imperio populi.) cùm ſe imperio populi Roman. tutum eſſe arbitraretur: & Regale otium, regum dignum interpretor, cùm quis multa apud ſe de Repub. commentatur, ut interim nihil eneruatè, luxurioſè, aut effœminatè faciat. Operis.) egentibus ac perditis hominibus, quorum ſuffragio de mea pernicie & proſcriptione rogationē tulerat. Orat. pro dom. Rogatū eſt.) lex lata eſt. Quòd cùm in piratas Clodius incidiſſet, & petente Clodio Ptolomæus nimis exiguum preciū miſiſſet, eo remiſſo dimiſſoque à piratis Clodio. Huius rei memor Clodius Tribunus pleb. ingratitudinis Ptolomæum pro concione inſimulans non deſtitit, donec eius regnum in prouinciam redegit, omnibus fortunis regis publicatis. Ptolomæus uerò præ indignitate ueneno ſibi mortem conſciuit. Strab. lib. 14. & Cic. Orat. pro dom. Tua uerò quæ tanta impudētia eſt, &c. Subiiceretur.) in auctione uēderētur, confiſcarentur, ut dicimus. Bello uictis regibus regna reddere cōſueuit.) Hoc docet Cic. lib. 1. Offic. Atq; in Republica maximè conſeruanda ſunt iura belli, &c. Repetitis.) Romani ante belli denuntiationem fœciales mittebant, qui res ablatas aut iniuſtè occupatas repeterent. Liu. lib. 1. Decad. 1. Cic. loco iam citato lib. 1. Officio. & Plinius lib. 22. cap. 2. Huc ſi placet, referas quæ ſcribit Plato in Alcibiade priore, de tribus cauſis iuſti belli. Illorum.) Claudianorum. Antiochum illum.) crimen publicati, & ſpoliati regis auget exēplo diſsimili. Rex Syriæ fuit Antiochus. de quo Polybius plura ſcribit, & Daniel propheta, cap. 11. Is à Senatu iuſſus ab Aegypto abſtinere ſuadente Annibale bellum aduerſus Rom. inſtruxit, geſſitque anno urb. condit. 559. Oroſ. lib. 4. cap. 20. Liu. lib. 6. & 7. Decad. 4. Intra montem.) Liu. lib. 7. Decad. 4. Ea quæ legato magna ad pacem impetrandam, &c. Taurum.) imperij

Romani

Romani terminum.Liu.lib.8.eiuſdem Decad. Solin.in deſcriptione Ciliciæ.& Oroſ.lib.5.cap.23. Regnare.) coactus eſt,& obſides dare duos filios,Antiochum Epiphanẽ,& Demetrium. Aſiam.) fuit enim Antiochus Syriæ & Aſiæ Rex annis 36.ut ſcribit Achilles Pirminius in Chron.Iudæam & Aegyptum armis inuaſit, ob plurimorum cædes tandem Hierax eſt dictus, miſerè poſtea à ſuis interfectus.De Aſiæ ubertate ac fertilitate uidere eſt apud Cic. Orat.pro leg.Manil. Attalo.) rege Pergami in ſocietatem belli uocato.Liu.lib.8.Decad.4.& cuius regnũ præſidiis naualibus, terreſtribúſque uacuum Antiochus inuaſerat.Liu.lib.2.Decad.4.

Cum Armeniorum *rege* Tigrane *graue bellũ perdiuturnúmque geſſimus, cùm ille iniuriis in ſocios noſtros inferendis bello propè nos laceſſiſſet: hic & ipſe per ſe uehemens fuit,& acerrimum hoſtem huius imperij* Mithridatem *pulſum* Ponto,*opibus ſuis regnóque defendit:& à* Lucullo *ſummo uiro,atque imperatore pulſus,animo tamen hoſtili cum reliquis copiis ſuis in priſtina mente manſit.*Hunc Cn.Pompeius,*cùm in ſuis caſtris ſupplicem, abiectúmque uidiſſet,erexit:atque inſigne regium, quod ille de ſuo capite abiecerat,repoſuit: imperatis certis rebus regnare iuſſit:nec minus & ſibi,& huic imperio glorioſum putauit conſtitutum à ſe regem,quàm conſtrictum uideri.* Tulit,*geſſit,qui & ipſe hoſtis fuit populi* Rom.*& acerrimum hoſtem in regnum recepit: qui conflixit, qui ſigna contulit,qui de imperio penè certauit,regnat hodie: & amicitiæ nomen ac ſocietatis,quod armis uiolarat, id precibus eſt conſecutus.*Ille *Cyprius miſer, qui ſemper ſocius, ſemper amicus fuit,de quo nulla unquam ſuſpicio durior, aut ad* Senatum,*aut ad imperatores noſtros allata eſt, uiuus (ut aiunt) eſt & uidens, cum uictu ac ueſtitu ſuo pu-*

blicatus. En cur cæteri reges ſtabilem eſſe ſuam fortunam arbitrentur? cùm hoc illius funeſti anni prodito exemplo uideant, per Tribunum aliquem, & ſexcentas operas ſe fortunis ſpoliari, & regno omni poſſe nudari.

Tigrane.) ſocero Mithridatis. Hic Luculli exercitum contẽnens, ac illudẽs dicebat, ſatis quidem multos eſſe, ſi ut legati uenirent: ſin uerò ut pugnaturi, paucos admodum, ac ferè nullius aut momẽti, aut numeri. Plutarch. in Lucul. Mithridatem.) Regem Ponti. de quo Plinius lib. 25. cap. 1. bellum cum Rom. 46. annis uaria ac multiplici uictoria geßit. Pulſum.) à Lucullo fortißimo & clarißimo uiro. Orat. pro Arch. poet. Plutarch. in Lucull. Ponto.) Pontus Aſiæ minoris pars eſt. Cn. Pompeius.) cui poſt Lucullum cura belli Mithridatici mandata fuit Cn. Manilio Tribuno pleb. legem ferente, renitentibus uiris Conſularibus Q. Hortenſio, & Q. Catulo. Orat. pro L. Manil. Hunc autem cùm dicit, Tigranem intelligit. Inſigne regium.) diadema. Hiſtoria eſt apud Oroſ. lib. 6. cap. 3. & Plutarch. in Lucull. & Pomp. Certis rebus.) ut uectigalibus ac tributis populo Rom. penſitandis. Conſtitutum regem.) cui oranti ueniam dedit, ut ſcribit Oroſ. lib. 6. cap. 4. Tulit, geßit.) Qui hũc locũ mendo carere uolunt, exiſtimant ad Tigranem hæc referri oportere, ut ſit ſenſus, Tigranes tulit ac geßit ornamenta regis, quantumuis ut acerrimus hoſtis à Pompeio uictus eſſet. At uerius cõiicere licet, pro Tulit, geßit, proprium nomen cuiuſdam regis deſiderari, ut fortaſſe reponẽdum ſit Tuligeſſes, qui ut ſuſpicor Mithridatem opibus ſuis, & regno iuuerat, ut Artaces rex Hyberorum, & Oriſez, al. Oraſſez rex Albanorum. Certi nihil habeo, ſatis ſit monuiſſe. Acerrimum hoſtem. Mithridatem. Orat. pro L. Manil. & Orat. pro L. Mur. Atqui ſi diligenter quid Mithridates potuerit, &c. Ille Cyprius) redditio cum affectu commiſerationis. Durior.) grauior, iniquior: comparatiuus pro poſitiuo. Sic Virg. 1. Aeneid.

Triſtior, & lachrymis oculos ſuffuſa nitentes
Alloquitur Venus.

Annotarunt & illud Iureconſulti, ſed uerboſius, in celebri illo Celſi reſponſo.

reſponſo. Quod Nerua. lib.16. D. Tit. depoſ. Viuus & uidens.) indigniſsimè miſerriméque. ſic Terent. in Eunucho:

Et tædet, & amore ardeo, & prudens ſciens,

Viuus uidénſque pereo. Et Cæl. ad Cic. lib. 8. Epiſt. fam. epiſt. Exanimatus ſum tuis literis. Verè is, uiuus uidénſque perit, qui ſibi periculũ arceſsit, qui ſciens perit. Et quod dixit, ut aiunt, hoc prouerbiali figura dici indicat. En.) inſultantis cum amaritudine & acerbitate quadam. ſic Orat. pro Deiot. En crimen, en cauſa, cur regẽ fugitiuus, dominum ſeruus accuſet. Stabilem fortunã arbitren.) ſi quando ſe in fidem ac clientelam populi Ro. contulerint. Funeſti.) calamitoſi. Peſtifer ac funeſtus Clodij Tribunatus dicitur à Cic. Orat. pro dom. Prodito exemplo.) al. perdito.

Atque etiam eo negotio M. *Catonis ſplendorẽ maculare uoluerũt, ignari quid grauitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique uirtus ualeret. Quid? quæ in tẽpeſtate ſæua quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco, manet tamẽ atq; hæret in patria, ſplendétq; per ſe ſemper, neq; alienis unquã ſordibus obſoleſcit.* Non *illi ornandum* M. *Catonẽ, ſed relegandũ: nec illi committẽdum illud negotium, ſed imponendum putauerunt, qui in concione palàm dixerint, linguam ſe euelliſſe* M. *Catoni, quæ ſemper contra extraordinarias poteſtates libera fuiſſet. Sentient, ut ſpero breui tempore, manere libertatem illam, atque hoc etiam ſi fieri poſsit, eſſe maiorem, quòd cum Conſulibus illis* M. *Cato, etiã cùm iam deſperaſſet aliquid auctoritate ſua proficere poſſe, tamen uoce ipſa ac dolore pugnauit, & poſt meum diſceſſum iis* P*iſonem uerbis flens meum, &* Reip. *caſum uexauit, ut illum hominem perditiſsimum atque impudentiſsimum penè iam prouinciæ pœniteret. Cur igitur rogationi paruit? quaſi uero ille non in alteras quoq; leges, quas iniuſtè rogatas putaret, iam ante*

iurarit: non offert ſe ille iſtis temeritatibus: ut cùm Reipub. *nihil proſit, ſe ciue* Remp. *priuet.*

Eo negotio.) faciendæ publicationi Ptolomæi regis Cypri. M. Catonem.) Vticenſem poſtea cognominatum. Plutarch. in Cat. Vticen. Virtus ualeret.) Cic. Orat. pro dom. ſic ſcribit. Huius pecuniæ deportãdæ M. Catonem præfeciſti: dices, quem uirum? fortiſſimum, prudentiſſimum, &c. Tempeſtate.) in ſumma Reip. perturbatione, maximis ſeditionum procellis. Pulſa loco.) è Rep. Rom. diſiecta exterminatáque. Hæret.) nomine & graui æſtimatione præſens eſt in Rep. Manet.) neque unquam ulla ui labefactari poteſt. 4. Philipp. neque amitti. 2. Tuſcul. His addas ult. Parad. Sordibus obſoleſcit.) ſuum nitorẽ perpetuo retinet, quantumuis magna uitiorum uis ſit. 5. Tuſcul. Scelere Clodij eximia uirtus, fides, & cõtinentia Catonis nullam maculam contraxit. Ornandum.) illo munere prouinciali extra ordinem delato. Relegandum.) amandandum, remouendum. Orat. pro dom. Imponendum.) tanquam onus inuito.

Contra extraordinarias poteſtates.) ut contra Cæſarem & Pompeium, quibus imperia, nec more, nec lege, nec ueteri inſtituto deferebantur, repugnante Catone, & maximè contradicente. Vide Orat. pro dom. Cæterum Iureconſ. in L. Solent. De offic. proconſ. lib. 1. D. extraordinarium eſt, quod neque lege, neque more fit. A Cicerone 3. Verr. ſordida lucra & furta, dicuntur pecuniæ extraordinariæ, quòd nõ legitimè percipiãtur. Aſcon. Sed & cũ in more illud poſitũ eſſet, ut omnes pecuniæ ordine in tabulas aut codicem referrentur: quæ relatæ non erant, ab antiquis extraordinariæ dicebantur. Item & extraordinarias cupiditates Ciceroni eſſe exiſtimarim, quæ contrà atq; modus & ordo uitæ flagitat, intẽperanter conquiruntur: quales fuẽre Xerxis, qui præmium eis proponebat, qui nouam uoluptatem inueniſſent. Quàm cum.) Locus erit ſanus, ſi, quòd, legatur: ut cùm nihil deſit, ſignũ ſtellulæ adiici non debeat. Proficere.) contra Clodium & Conſules. Iis.) talibus. Prouinciæ.) quam à Clodio pactus fuerat, ut me proderet, oppugnaret, omni denique auxilio ſpoliaret. Orat. poſt red. in Sen. & Orat. in Piſ. ô labes, cùm addicebas Tribuno pleb. &c. Cur igitur.) Occurrit, & rationes adfert, cur Cato

legi

legi Clodiæ paruerit. Alteras leges.) C. Cæſaris, quas in Conſulatu de Colonia Tranſpadana, agris diuidendis, portoriis Italiæ tollendis tulerat. Suet. in Cæſ. Plutarch. in Vit. Catonis & Cæſ. Cic. epiſt. Cœnato mihi & iam dormitanti. lib. 2. epiſt. ad Att. Antea iurarit.) multis amicorũ ac præcipuè Ciceronis precibus expugnatus. Plutarc.

Nihil profit.) etiam reſiſtendo pernicioſarum legum promulgationi. Se ciue.) tam forti, ac tam neceſſario Reip. Verum enim illud eſt Menandri, ὁ χρηστὸς ἐστι πολλαχοῦ σωτήριος*: uir bonus multis in locis eſt ſalutaris.*

Conſule me, cùm eſſet deſignatus Tribunus *pleb. obtulit in diſcrimen uitam ſuam: dixit eam ſententiam, cuius inuidiam capitis periculo ſibi præſtandam uidebat: dixit uehementer, egit acriter: ea quæ ſenſit, præ ſe tulit: dux, auctor, actor rerum illarum fuit, non quo periculum ſuum non uideret, ſed in tanta* Reip. *tempeſtate nihil ſibi, niſi de patriæ periculis cogitandum putabat.* Conſecutus *eſt ipſius* Tribunatus. *Quid ego de ſingulari magnitudine animi eius, ac de incredibili uirtute dicam?* Meminiſtis *illũ diem, cum templo à collega occupato, nobis omnibus de uita eius uiri & ciuis timentibus, ipſe animo fortiſſimo uenit in tẽplum, & clamorem hominum, auctoritate: impetum improborum, uirtute ſedauit: adiit tum periculum, ſed adiit ob cauſam, quæ quanta fuerit, iam mihi dicere non eſt neceſſe.* At *ſi iſti Cypriæ rogationi ſceleratiſſimæ non paruiſſet, hæreret illa nihilominus in* Repub. *turpitudo.* Regno *enim iam publicato, de ipſo* Catone *erat nominatim rogatum. quòd ille ſi repudiaſſet, dubitatis quin ei uis eſſet illata? cum omnia acta illius anni per illũ unum labefactari uiderentur?* Atque *etiam hoc uidebat, quoniam illa in* Repub. *macula regni publicati maneret, quã nemo iam poſ-*

ſet eluere, quod ex malis bonum poſſit in Rep. prouenire, id utilius eſſe per ſe conſeruari, quàm per alios. Atque ille etiam, ſi alia quapiam ui expelleretur illis temporibus ex hac urbe, facile pateretur: etenim qui ſuperiore anno Senatu caruiſſet, quo ſi tum ueniret, me tamen ſocium ſuorum in Rep. conſiliorum uidere poſſet: is æquo animo tum me expulſo, & meo nomine cũ uniuerſo Senatu, tum ſententia ſua condemnata, in hac urbe eſſe poſſet? ille uerò eidem tempori, cui nos eidem furori, eiſdem Conſulibus, eiſdem minis, inſidiis, periculis ceſſit. Luctum nos hauſimus maiorem, dolorem ille animi non minorem.

Conſule me.) Plin. lib. 9. cap. 39. apud quem numerus 691. pro 700. eſt reponendus. Deſignatus.) declaratus, cum L. Murena, & Q. Metello Nepote. Deſignatus autem quis magiſtratus dicebatur, antequam magiſtratum iniret. In diſcrimen.) cùm mihi adeſſet in opprimẽda coniuratione Catilinæ. Saluſt. Dixit ſententiã.) ut coniurati more maiorum ſupplicio afficerentur, in quam Senatus ipſe diſceſſit. Saluſt. in Catil. Inuidiam.) offenſionem, neque enim coniurati nudi erant omnino ab amicis. Præſtandam.) luendam, ac in ſe recipiendam. Vehementer.) ut uidere eſt apud Saluſt. in Orat. Catonis. Præ ſe tulit.) non diſſimulauit. Cicer. Non diſſimulabo, at ſemper præ me feram. Illarum rerum.) opprimendorũ coniuratorum. Tempeſtate Reip.) tam turbulento Reip. ſtatu, tãta conuerſione, inclinationéque Reip. Nihil ſibi niſi.) ſua pericula poſthabuit Reip. commodis, cùm ſe ei totum daret. Præclare Cic. 2. de legib. In Rep. omnia noſtra ponere, & quaſi conſecrare debemus. Ante nos corruptè legebatur, nihil de patriæ periculis. Magnitudine animi.) Saluſt. in comparatione Catonis & Cæſ. Templo.) Caſtoris in foro erat: in eo autem Metellus cum populo agere uolebat, ac legem ferre, ut Pompeius, qui in Aſia aduerſus Mithridatem pugnabat, cum exercitu reuocaretur ad reliquias cõiurationis perſequendas. Ea Ciceroni inuidia ex rebus geſtis in Conſulatu à Me-

tello,

tello,Craſſo,Cæſare,Hortenſio,quærebatur. Cicero 3. Verr. Caſtoris ædem uocat celeberrimum, clariſſimúmque monimentum. Collega.) Q. Metello Nepote,mihi inimiciſſimo, poſtea in æde Iouis Reipub.cauſa depoſitis inimicitiis mihi reconciliato. Cic.Orat.poſt red.in Sen. & Orat.de Prouinc.Coſſ. Cicero de Rep. cum eo concertarat. epiſt.2.lib.5.Epiſt.famil.& contra illius concionem orationem habuerat,quam Metellinā dicit.epiſt. Accepi tuas treis iam epiſtolas. lib.1.Epiſt.ad Att.& epiſt.Tu quidem ſedulo. lib.3.epiſt.ad eund.

Adiit ob cauſam.) non ergo temere:ac certè, ut ſcribit Cic.lib.1. Offic.fugiendum illud eſt,ne offeramus nos periculis ſine cauſa,quo nihil poteſt eſſe ſtultius. Turpitudo.) Mox dicet maculam regni publicati. Repudiaſſet.)Cypriæ rogationi præeſſe recuſaſſet. ductū à repudio uxorum. Allata.) à Clodianis. Omnia acta.) omnes leges quas tuliſſet Clodius, quæque in ſuo Tribunatu egiſſet. Per illum unū.)Catonē,qui mihi & Reip.unus erat pro centū millibus. epiſt. Cupio equidem. lib.2.Epiſt.ad Att.& epiſt.Ad IIII.Non. Iun.lib.2.Epiſt.ad Q. frat.Plus unus Cato fuerit,quàm omnes lèges,omnéſque iudices. Quod ex malis bonum.) ſi quid commodi ex tātis malis Reip.colligi aut comparari poſſet. Redactionem dicit, & coactionē regiæ pecuniæ. Per alios.) improbos ciues,qui eam pecuniam,aut in ſceleratos uſus,aut in ipſius Reip.perniciem cōuertiſſent,eáque Remp.defraudaſſent. Atque ille.) Senſus eſt:amādationem illam,ac relegationem per colorem rogationis Cypriæ factam æquo animo tulit Cato,qui tum nō grauiter,etiam exilium tuliſſet. Superiore anno.) Conſule Cæſare cum Bibulo. Senatu caruiſſet) in Senatum non ueniſſet propter Cæſaris impotentiam, qui repugnante Senatu iniquas leges ferret. Tempori.) tempeſtati inclinationíque Reip. Luctum hauſimus maiorem.) cùm nemo unquam tantis bonis priuatus fuiſſet,nec in tantas miſerias quiſquā incidiſſet.diximus ex epiſt. Accepi Idib.Sext.lib.3.Epiſt.ad Att. & epiſt.Acta quæ eſſent.eod.lib.

His de tot tantíſque iniuriis in ſocios,in reges,in liberas ciuitates,Conſulum querela eſſe debuit: in eius magiſtratus tutela reges,atque exteræ nationes ſemper fuerūt. Ec-

quæ uox unquam eſt audita Conſulum (quanquam quis auderet, ſi maximè queri uellēt?) de Cyprio rege quærere? qui me ciuem nullo meo crimine, patriæ nomine laborantem, non modò ſtantem non defenderunt, ſed ne iacentem quidem protexerūt. Ceſſeram, ſi alienam à me plebē fuiſſe uultis, quæ nō fuit, inuidiæ: ſi cōmoueri omnia uidebātur, tempori: ſi uis ſuberat, armis: ſi ſocietas, magiſtratuum pactioni: ſi periculū ciuiū, Reipublicæ. cur cùm de capite ciuis (nō diſputo cuiuſmodi ciuis) & de bonis proſcriptio ferretur, cùm & ſacratis legibus, & XII tabulis ſancitū eſſet, ut neq; priuilegiū irrogari liceret, neq; de capite, niſi comitiis Cēturiatis rogari, nulla uox eſt audita Conſulum? cōſtitutúmq; illo anno eſt, quātum in illis duabus huius imperij peſtibus fuit, iure poſſe per operas concitatas quemuis ciuē nominatim Tribuni plebis conſilio ex ciuitate exturbari. Quæ uerò promulgata illo anno fuerūt, quæ promiſſa multis, quæ conſcripta, quæ ſperata, quæ cogitata, quid dicā? qui locus orbis terræ iam non erat alicui deſtinatus? cuius negotij publici, cogitari, optari, fingíq; procuratio potuit, quæ nō eſſet attributa atq; deſcripta? quod genus imperij, quæ prouincia, quæ ratio, aut auferendæ, aut conflādæ pecuniæ non reperiebatur? quæ regio, orá ue terrarum erat latior, in qua nō regnū aliquod ſtatueretur? quis autē rex erat, qui illo anno non aut emendū ſibi, quod nō habebat, aut redimēdū quod habebat, arbitraretur? Quis prouinciā, quis pecuniam, quis legationē ab Senatu petebat? Damnatis de ui, reſtitutio: Cōſulatus petitio ipſi illi populari ſacerdoti cōparabatur. Hæc gemebant boni, ſperabāt improbi, agebat Tribunus pleb. Conſules adiuuabant.

His

His de tot.) In ſummam confert damna Reip.& in Cõſules inuehitur,quòd laborãti Reip.defuerint,imò uerò horum malorũ cauſa fuerint. Reges.) quorum bona publicabantur. Liberas ciuitates.) ut Byzantium,in quam exules ſeditioſos homines contra leges Clodius reduxit.Sunt autem liberæ ciuitates,quæ hac conditione eóque fœdere in amicitiam populi Rom. ſocietatémque uenêre,ut nihil pẽderent,ſuiſque legibus uiuerent. Conſulum.) Piſonis & Gabinij, quorum fide,conſilio,grauitate Reſp.niti debuit.Orat.in L.Piſ. Tutelam,fidem & clientelam interpretor. Fuerunt.) adeò ut ſi quid iniuriarum illis inferretur,ſtatim Conſules unà cum Senatoribus de præſtando auxilio cogitarent:ut de Attalo iam diximus ex Liu.lib. 2.Decad.4. Vox.) conqueſtio aliqua aut querela. Gallic. Nul plaintif. Auderet.) Audiret mihi legendũ uidetur. Obmuteſcerent,inquit,Conſules,& ſi de iis incommodis Reip. quæſtionem inſtitui uellent.De flagitij admiſsi indiciis elogium ſeu quæſtionem conficere,eſt quod barbarè dicimus,facere informationem. Stantem.) me adhuc incolumi in Rep.& cùm adhuc in ea facilè retineri poſſẽ.

Iacentem.) afflictum,urbe pulſum. Protexerunt.) tutati ſunt: ductum ab iis qui clypei obiectu iacentem ab hoſte protegũt ne interficiatur:ut ſtrenuè factum legimus à quibuſdã Alarici Viſigotthorum regis militibus,apud Aemylium,lib.1.de reb.geſt.Franc.in Clodoueo.1. Ceſſeram.) Rei inuidiam auget à cauſa ſui diſceſſus.

Quæ non fuit.) cùm omnes pro me laborarent,& meæ ſalutis cauſa ueſtem mutaſſent: omnes,& ſe & ſuos amicos,clientes, libertos, ſeruos pollicerentur.epiſt.2.lib.1.epiſt.ad Q. frat. Inuidiæ.) Vall. lib.1.cap.21.Cic.Tuſcul.quæſt.3.& 4. Commoueri.) afflicto Senatu,perterritis Equitibus,ſuſpenſa ac ſollicita tota ciuitate. Orat. pro dom. Tempori.) Reip.perturbationi, inclinationi ue. Armis.) ſeruis nempe ſimulatione Collegiorum conſcriptis,& copiis omnibus Catilinæ ad ſpem cædis & incendiorum,reuocatis.Orat.poſt red.in Sen. Magiſtratuum pactioni.) Clodij & duorum Conſulum, qui partim me oppugnabant, partim prodebant prouinciarum Syriæ & Macedoniæ pactione.ead.orat.& Orat.pro dom. Reip.) ne eam quam inermis ſeruaſſem, armatus in diſcrimen adducerem. ead.Orat.pro dom. De capite ciuis.) de mea pernicie. Proſcriptio

ferret.) ſic nos uerè reſtituimus. Hæc fuêre proſcriptionis uerba, quæ extant apud Ciceronem Orat. pro dom. Velitis, iubeatis, Quirites, ut M. Tullius in ciuitate ne ſit, bonáque eius ut mea ſint. Sacratis legibus.) in monte Sacro quondam latis, ubi & Tribunitia poteſtas primum conſtituta. Liu. lib. 7. Decad. 1. Idem omnino tractatur à Cicerone Orat. pro dom. Vetant leges ſacratæ, &c. Priuilegiũ irrogari.) pœna infligi non poſſet, quæ communibus legibus comprehẽſa non eſſet, maximè uerò re nondum iudicio diſcuſſa. Priuilegia, leges ſunt in priuos, id eſt, ſingulos homines latæ: ipſo Ciceron. interprete, Orat. pro dom. Vlpianus lib. 1. D. Tit. de legib. Iura, inquit, nõ in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur: & Demoſthenes in Orat. contra Timocratem, cuius uerba adſcribam. Μηδὲ νόμον ἐξεῖναι, *inquit,* ἐπ' ἀνδρὶ θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν ἀθηναίοις, τῶν ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις. *id eſt, Ne legem priui hominis cauſa ferre, niſi & eandem in omnes Athenienſes liceto, non minus ſex hominum millibus ſuffragio clàm lato ſciſcentibus. Niſi comitiis Centuriatis.) His comitiis populus in campum Martium ſub Centurionibus & ſignis conueniebat, & ſeruato ordine claſſiũ (quæ numero quinque erant) ſuffragium ferebat, qui ordo, ſi non ſeruaretur, confuſio ſuffragiorum dicebatur. Orat. pro L. Mur. Cic. lib. 3. de legib. Et populus (inquit) cenſu, ordinibus, ætatibus, plus adhibet in ſuffragium conſilij, quàm fuſè in tribus cõuocatus. Verba legis 12. Tabul. hæc ſunt. Priuilegia ne irroganto. De capite ciuis, niſi per maximum comitiatum, ne ferunto.*

Rogari.) ferri. Conſulum.) intercedentium tam pernicioſo, legibúſque ſacratis contrario priuilegio. Et cùm, Peſtibus, dicit, eoſdem Conſules Piſ. & Gabinium intelligit. Exturbari.) Orat. pro dom. Quid indignius, quàm qui nec adeſſe, &c. Sperata.) ab improbis. Conſcripta.) conſtituta, pacta, & conuenta. Cogitata.) quæ moliebantur improbi. Deſtinatus.) tanquam deſponſus & addictus. Procuratio.) adminiſtratio. Cic. lib. 1. de Nat. deor. Epicurus deos omni procuratione atque actione priuat. Attributa.) pactæ primum pecunia: ſicuti hodie fieri ſolet in magiſtratuum licitatione, non ſine magno Reip. malo. Auferendæ, aut conflandæ pecuniæ.) corradendæ pecuniæ, & contra leges conciliandæ. Conflare pecuniã,

cogere

cogere eſt & facere. In antiquis codicib. ſcriptum reperias, Quæ ratio flandæ aut feriendæ pecuniæ, hoc eſt cudendæ. Triumuiri autem Romæ præerant auro, argento, æri flando, feriendo. Regnum ſtatueretur.) rex aliquis conſtitueretur. Hoc dicit propter Brogitarum impurum hominem, Deiotari generũ, Regis nomine à Clodio decoratum. Prouinciam à Senatu petebat.) cùm tamen penes Senatũ ordinandarum ac diſtribuendarũ prouinciarum cura eſſet. Pecuniã.) cùm Clodius ærariũ donaret, exhauriret, quibus uellet: maximè uerò Conſulibus diſtribueret. Dixi anteà ex Orat. pro dom. & poſt red. in Sen. Damnatis.) de ui. Et Byzantinos intelligit à Clodio reſtitutos, & ab exilio reuocatos, contra ius ciuitatis. Populari.) uel ſeditioſo, uel ad plebem per adoptionẽ traducto. Sacerdoti.) ſic & Orat. pro dom. εἰρωνικῶς caſtiſſimum ſacerdotem Clodium appellat, quòd habitu muliebri in ſacra Bonæ deæ irrepſiſſet. Diximus anteà.

Hæc gemebant.) ob hæc boni ciues ſuſpiria trahebant, hæc fieri grauiter admodum ferebant. Sperabant.) ſe ex malis Reip. boni aliquid eſſe conſecuturos.

Hic *aliquanto ſerius quàm ipſe uellet,* Cn. Pompeius, *inuitiſſimis iis qui mentẽ optimi ac fortiſſimi uiri ſuis cõſiliis ac fictis terroribus à defenſione meæ ſalutis auerterãt, excitauit illam ſuam nõ ſolutam, ſed ſuſpicione aliqua retardatam conſuetudinem* Reip. *bene gerendæ.* Nõ *eſt paſſus ille uir, qui ſceleratiſſimos ciues, qui acerrimos hoſtes, qui maximas nationes, qui reges, qui gentes feras atq; inauditas, qui prædonum infinitam manum, qui etiam ſeruitia uirtute, uictoriáq; domuiſſet, qui omnibus bellis terra, marique compreſſis,* Imperium *populi* Rom. *orbis terrarum terminis definiſſet,* Remp. *euerti ſcelere paucorum: quam ipſe non ſolum conſiliis, ſed etiam ſanguine ſuo ſæpe defendiſſet: acceſſit ad cauſam publicam, reſtitit auctoritate ſua reliquis rebus, de præteritis queſtus eſt: fieri qua-*

dam ad meliorem ſpem inclinatio uiſa eſt. Decreuit Senatus *frequens de meo reditu* Calend. Iunij *diſſentiente nullo, referente* L. Mummio, *cuius in mea cauſa nunquam fides, uirtúſque contremuit.* Interceſſit Ligus *iſte neſcio qui, additamẽtum inimicorum meorum: res erat, & cauſa noſtra eò iã loci, ut erigere oculos, & uiuere uideretur: quiſquis erat, qui aliquam partem in meo luctu ſceleris Clodiani attigiſſet, quocunque uenerat, quod iudicium cunq; ſubierat, damnabatur: inueniebatur nemo, qui ſe ſuffragium de me tuliſſe confiteretur.*

Hic.) hoc eſt, in tanto motu ac perturbatione Reipublicæ. Serius quàm uellet.) ut qui tamen reſtituendi mei, quàm retinendi ſtudioſior fuerit. epiſt. Maximis & miſerrimis rebus. lib. 8. *Epiſtol. ad Att. Huc etiã pertinet, quod idem ipſe ſcribit ad Lent. lib.* I. *Epiſt. famil. epiſt. long. Et meminero, & prædicabo libenter, &c. Inuitiſsimis iis.) Clodianis. Fictis terrorib.) falſa denũtiatione inſidiarum, cùm eius uitæ à me inſidias apud me domi poſitas eſſe dicerent.*

Non ſolutam.) non remiſſam, aut languidam factam. Solutos eneruatos dicimus, quaſi nullis legibus honeſti adſtrictos: ἄνομοι καὶ ἀνομοθέτητοι *ſunt Athenæo. At ſolutam terrã, raram, ac minimè ſpiſſam dicit Plinius lib.* 18. *cap.* 6. *Suſpicione.) quia fortaſſe in illis meis actionibus ſententiiſque omnibus minus Pompeio ſatisfacerem. epiſt. long. ad Lentul. lib.* I. *Epiſt. famil. Ille uir.) Pompeius. Sceleratiſsimos ciues.) Sertorianos & reliquos Marianos. Plutarch. in Pomp. Acerrimos hoſtes.) Picentes, Marſos, quorum dux erat Agamemnon archipirata. Paul. Oroſ. lib.* 5. *cap.* 18. *& Plutarchus.*

Maximas nationes.) Africæ, in qua Domitium uicit, & Hiertã Numidiæ regem ſpoliauit. idem Oroſ. lib. 5. *cap.* 21. *Itẽ & Europæ, in qua Frãcum Marſorum ducem fudit. Item Aſiæ, in qua Tigranem & Mithridatẽ fœliciter ſuperauit. Plutarch. in Pomp. Gentes feras & inauditas.) quarum nomina prius audita non fuerant: cũ enim Mithridatem fugientem bello perſequeretur, in ultimas ignotáſque*

táſque gentes penetrauit, Iberos, Albanos, qui tranſitũ non dabant, prælio uicit, Colchos, Heniochóſque ſibi adiunxit. Flor. lib. 100.

Prædonum.) piratarum. Hos intra quadrageſimum diem toto mari expulit, & in Cilicia ſuperauit. Flor. lib. 99. *& Plutarc. in Pomp.*

Seruitia.) qui perſecutus eſſet reliquias belli ſeruilis. Flor. lib. 95. 96. 97. *Orbis terrarũ terminis.) De amplitudine imperij Rom. diximus initio huius orat. Plura, ſi uoles, addas ex Liu. lib.* 6. *Decad.* 4.

Cauſam publicam.) meam, quæ coniuncta erat cum ſalute Reip.

Reliquis rebus.) ut legibus, furenter à Clodio promulgatis. De meo reditu.) lege perlata prid. Non. Sext. epiſt. 1. *lib.* 4. *ad Att. Decreuit autem, ut omnes qui Remp. ſaluam eſſe uellent, ad me unum defendendum uenirent. Orat. pro dom. Referente.) rem, ut diximus, in conſultationem ponente. L. Mummio.) Iam monuimus Ninnio legendũ eſſe, ex Dione. Ligus.) C. Aelius Stalenus. Orat. pro A. Cluent. cognomento & natione Ligus. Ligures autem montani ſunt duri & agreſtes. Orat.* 2. *in Rull. fœdifragi & latrones. Liu. lib.* 10. *Decad.* 4. *Helluones (unde ligurire) fallaces. Cato lib.* 2. *Orig. & Camilla Auno apud Virg. lib.* 11. *Aeneid.*

Vane Ligur, fruſtráque animis elate ſuperbis
Ne quicquam patrias tentaſti lubricus artes:
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.

Ligures, Geneuẽſes ſunt: & Genua, Liguriæ eſt Metropolis. Pomp. Mela lib. 2. *de ſitu orb. Additamentum.) appendicula & acceſſiuncula. Viuere.) reuiuiſcere. ductum ab iis, quibus animo malè eſt. Aliquam partem attigiſſet.) ſcelerum Clodij, quaſi ſatelles fuiſſet. Quod iudicium cunque.) parum emẽdate legit Al. quod iudicium cunque ſibi erat: hoc eſt, apud quencunque iudicem certabat. Damnabatur.) tanquam nefarius ac improbus ciuis. Bonorum meorum nemo rem ullam attigit, qui non omnium iudicio ſceleratiſſimus haberetur. Orat. pro dom. De me tuliſſet.) cùm ſcilicet de mea pernicie rogatio lata eſt. Itaque ſoli Clodiani, hoc eſt, nefarij & egentes homines de me ſuffragium tulerant.*

Deceſſerat ex Aſia *frater meus magno ſqualore, ſed multo etiam maiore mœrore.* Huic ad urbem uenienti to-

ta obuiam ciuitas cum lachrymis gemitúque proceſſerat: loquebatur liberius Senatus: *concurrebāt* Equites Romani: Piſo *ille gener meus, cui fructum pietatis ſuæ, neque ex me, neque à populo* Rom. *ferre licuit, à propinquo ſuo ſocerum ſuum flagitabat: omnia* Senatus *reiiciebat, niſi de me primum* Conſules *retuliſſent. Quæ cum res iam manibus teneretur, & cùm* Cōſules *prouinciarum pactione libertatem omnem perdidiſſent, qui, cum in Senatu priuati, ut de me ſententias dicerent, flagitabant, legem illi ſe* Clodiam *timere dicebant. Cùm hæc non poſſent iam diutius ſuſtinere, initur conſilium de interitu* Cn. Pompeij, *quo patefacto, ferróq; deprehenſo, ille incluſus domi tandiu fuit, quādiu inimicus meus in* Tribunatu. *De meo reditu octo* Tribuni *promulgarunt. ex quo intellectum eſt mihi abſenti creuiſſe amicos, in ea præſertim fortuna, in qua nonnulli etiam, quos eſſe putauerā, non erant: ſed eos uolūtatem ſemper eandem, libertatem non eandē ſemper habuiſſe.* Nam *ex nouem* Tribunis, *quos tunc habuerā, unus me abſente defluxit, qui cognomen ſibi ex* Aeliorū *imaginibus arripuit, quū magis nationis eius eſſe, q̄ generis uideretur.*

Deceſſerat.) Orat. pro dom. & epiſt. Acta quæ eſſent. lib.3. Epiſt. ad Att. Squalore.) ſordidatus. eadem epiſt. Vitaui, inquit, fratrem, ne illius luctum ſqualorémque aſpicerem. Squalor, eſt corporis: mœror, animi. Q. frater Aſiam triennium prætor obtinuit, eámque ſumma cum prouinciali abſtinētia geßit. L. Flacco ſuccedēs. Orat. pro Flac. & epiſt. 1. lib. 1. Epiſt. ad Q. frat. Concurrebant.) coibant, certatim ac ſtudioſè in meam cauſam incumbebant. Orat. in L. Piſ. & poſt red. in Sen. Pietatis ſuæ.) ead. poſt red. in Sen. Orat. Ferre licuit.) cùm ſtatim poſt noſtrum reditum deceſſerit, mihíque ac populo Rom. immatura morte præreptus fuerit. Propinquo ſuo.)

L. Piſone

L.Piſone Conſule. Flagitabat.) me maximis ac quotidianis precibus repoſcebat. Plus eſt quàm poſtulare. Cic. Orat. pro Quint. Tametſi cauſa poſtulat, tamen quia poſtulat, non flagitat, prætaribo.

Senatus reiiciebat.) nihil acturos, aut decretum nullum facturos. Orat. in L. Piſ. An tum eratis Conſules, &c. Res in manibus haber.) iam certus eſſet, explicatus, ac expeditus meus reditus. Libertatem perdidiſſent.) ut qui prouinciarum pactione ſe Clodio addixiſſent, libidinis illius ſatellites ac miniſtri eſſent. Cùm in Senatu priuati.) Sic uerius mihi uidetur legendum eſſe: Qui cum in Senatu priuatim, ut de me ſententias dicerent, flagitabantur. Legem Clodiam.) eiuſmodi fuit, ut ſi reuixiſſent ij, qui Remp. Rom. penè deleuerant (coniuratos dicebat) tum Cicero rediret. Orat. poſt red. in Sen.

Timere dicebāt.) Huc ſpectat quod ſcribit Cic. ead. orat. Nihil populus ſuffragiis declarauit, &c. & locus paulò ante citatus ex Orat. in Piſ. An tum eratis Cōſules, &c. Hæc.) tam crebras flagitationes Senatus & bonorum omnium. Initur.) à Clodio ac eiuſdem ſatellitibus. Interitu Pompeij.) ad quem interficiēdum ſeruus Clodij, cùm ſica in templo Caſtoris deprehenſus fuit. Orat. pro Mil. ſed & Orat. pro dom. cuiuſdam M. Lollij mentio fit, qui Pompeium ad interficiendum depopoſcebat. In Tribunatu.) In quibuſdam codicibus ſtellulam adiectam deprehendas, ſed temere, cùm nihil deſit.

Octo Tribuni.) Hos in Orat. poſt red. in Sen. connumerat, in iiſdémque reliquam omnem ſpem collocarat, epiſt. Quod ad te ſcripſeram. lib. 3. ad Att. Mihi abſenti creuiſſe.) Facilè exiſtimarim adiiciendam eſſe negatiuam, non: ſcribit enim poſtea, Nam ex nouem Tribunis, &c. Libertatem non eandem.) timidiores facti propter iniqua Reip. tempora, & metu mortis, ac Reip. deſperatione permoti. Orat. poſt red. in Sen. Vnus.) Ligus ille, C. Aelius Stalenus, qui interceſſit legi de Ciceronis reditu latæ. Defluxit.) à me deſciuit, & Clodio adhæſit. Cic. ubi ſalutatio defluxit, literis me inuoluo.

Aeliorum imaginibus.) honeſta familia: Fuit autem Romæ clariſſima Aeliorum familia, ut teſtatur Val. lib. 4. cap. 4. Cuiuſque uerò nobiliſſimæ familiæ is mos fuit, ut eorum qui ex ea gente fuiſſent, imagines in atrio haberentur. Atque earum imaginū certi erant tituli ſeu inſcriptiones, ne quē lateret, quibus erectæ fuiſſent. Id quis

facilè ex Miloniana & Cluent. intelligat. *Nationis.) ut qui Ligus eſſet, hoc eſt, fœdifragus, immanis, callidus. Liu. lib. 1. Decad. 5. eodẽ & Q. Petilius Conſ. ad conueniẽdum, &c.* *Generis.) quàm ex gẽte & familia Aeliorum: quò pro, quum, in ueteribus libris ſcriptum erat.*

Hoc igitur anno magiſtratibus nouis deſignatis, cùm omnes boni omnem ſpem melioris ſtatus in eorum fidem conuertiſſent, princeps P. Lentulus auctoritate ac ſentẽtia ſua Piſone & Gabinio repugnãtibus, cauſam ſuſcepit, Tribuniſque plebis octo referentibus, præſtantiſsimam de me ſententiam dixit. Qui cùm ad gloriã ſuam, atque ad ampliſsimi beneficij gratiam magis pertinere uideret: cauſam illam integram ad ſuum Conſulatum reſeruari: tamẽ rem talem per alios citius, quàm per ſe tardius cõfici malebat. Hoc interim tempore P. Sextius, Iudices, deſignatus, iter ad C. Cæſarem pro mea ſalute ſuſcepit. Quid egerit, quãtum profecerit, nihil ad cauſam: equidẽ exiſtimo, ſi ille (ut arbitror) æquus nobis fuerit, nihil ab hoc profectũ: ſin iratior, non multum: ſed tamen ſedulitatem atque integritatem hominis uidetis.

Hoc anno.) quo urbe ſum exactus. *Spem melioris ſtatus conuertiſſent.) melius ſperare cœpiſſent de Rep. ob magiſtratus menſe Iunio deſignatos.* *Princeps.) primus, cùm cæterorum animũ metu perculſum confirmarit, atque tenuerit, cauſam meam prudẽtibus cõmendarit, improbos auctoritate ſua compreſſerit, &c. Orat. poſt red. in Sen.* *P. Lentulus.) P. Cornelius Lentulus Conſul, cum Q. Metello Nepote. Orat. pro dom. Ille uerò dies qui fuit. Orat. pro dom. & Orat. poſt red. in Sen.* *Referentibus.) de mea ſalute.* *Ad ampliſsimi beneficij gratiam.) ut maiore & ampliore beneficio me ſibi obſtrictum haberet.* *Cauſam integram.) reuocationem, de qua nihil adhuc confectum eſſet.* *Tardius.) cùm ſex penè mẽſes adhùc ſupereſſent,*

ſupereſſent, quàm Lentulus Cõſul fieret, & ego reuocarer. Iter ad Cæſarẽ.) qui tunc in Gallia erat. Huc pertinere arbitror, quod ſcribit Cic. lib. 3. Epiſt. ad Att. epiſt. Expectationem nobis non paruam attuleras, cauſam noſtram Pompeium certè ſuſcepturũ, & ſimul à Cæſare ei literæ, quas expectaret, remiſſæ eſſent, auctorem etiam daturum: ut remiſſas fuiſſe per Sextium intelligam, qui ad Cæſarem pro Cicerone iter ſuſceperat. Si ille.) Cæſar. Aequus.) placatus, miniméque iratus. ſic Q. Cicer. de petit. Conſul. tamen hi poſſunt abs te placati æquique diſcedere. Nihil ab hoc profectum.) uanam illam fuiſſe Sextij ad Cæſarem mea cauſa profectionem. Iratior.) quòd legationi quam nobis ſua ſponte detulerat, renuntiaſſem, eandémque ſpreuiſſem. Orat. de prouinc. Coſſ. Dion lib. 38. de hac legatione uerius ſcribit, quàm Plutarch. in uita Ciceronis.

Ingredior iam in Sextij Tribunatum. nam hoc primũ iter deſignatus Reip. cauſa ſuſcepit: pertinere & ad cõcordiam ciuium putauit, & ad perficiẽdi facultatem, animũ Cæſaris à cauſa non abhorrere: abiit ille annus, reſpiraſſe homines uidebantur, nondum re, ſed ſpe Reip. recuperandæ: exierũt malis ominibus atq; execrationibus duo Vulturij paludati: quibus utinam ipſis eueniſſent ea quæ tum homines precabantur: neque nos prouinciam Macedoniã cum exercitu, neque equitatum in Syria, & cohortes optimas perdidiſſemus. Ineunt magiſtratum Tribuni plebis, qui omnes de me promulgaturos confirmarant. ex his princeps emitur ab inimicis meis, is quẽ homines in luctu irridentes Gracchum uocabant: quoniam id etiam fatum ciuitatis fuit, ut illa ex uepreculis extracta nitedula Remp. conaretur arrodere. Alter uerò nõ ille Serranus ab aratro, ſed ex deſerto Gaui Oleli horreo calathis grauis, in Calatinos ac Lælios inſitus, ſubitò nominibus in tabulas relatis nomen ſuum de tabula ſuſtulit. *

Ingredior.) Fuerunt ergo ſuperiora ferè omnia extra cauſam dicta, ac paulò altius repetita: hæc propius ad cauſam pertinēt. Concordiam ciuiū.) ut paci publicæ conſuleretur, ne ſi inconſulto Cæſare de me latum eſſet, iniquiore animo Cæſar in ciues, atque adeò Remp. eſſet. Non abhorrere.) à lege, quæ de meo reditu ferretur. Orat. de prouinc. Coſſ. Vos iidem pertinere ad cauſam putabatis, uolūtatem Cæſaris à ſalute mea non abhorrere. Abiit.) effluxit, exactus eſt. Terent. Dum hæc loquitur, tota abit hora. Ille annus.) quo Tribunatum geſſit Clodius. Reſpiraſſe.) abiecto omni metu cædis & proſcriptionis, nouorum magiſtratuum beneficio. Exierunt.) duo Conſules, Piſo & Gabinius ad prouincias regendas, quas à Clodio ſine ullo Senatus decreto acceperant. Malis ominibus.) ſiniſtro auſpicio, infœliciter. Et execrationes diræ ſunt ac deteſtationes perquā affines noſtris excommunicationibus. Cic. lib. 1. De diuinat. Neque ſolùm Deorum uoces Pythagorei obſeruauerūt, ſed etiam hominum quæ uocāt omina: quæ maiores noſtri, quia ualere cenſebant, idcirco omnibus rebus gerendis, quod bonum, fauſtum, fœlix, fortunatúmq; eſſet, præfabantur. Vulturij.) rapaces, inhiantéſque prædæ. Prouerb. Vulturis umbra. Hinc Aupleius cauſidicos & patronos forēſes conuiciis inceſſens, Togatos uulturios appellat, ut quibus præuaricari, reos prodere, aduocationes, patrociniáq; diuēdere, ac ſanguinaria rapacitate homines excarnificare liceat. Paludati.) Ad prouincias regendas cum imperio profecturi, paludati exibant. Varr. lib. 6. de ling. Lat. Eſt autem paludamentū teſte Bud. χλαμὺς ϛρατηγικὴ, chlamys imperatoria, id eſt eorum qui exercitus educebāt: hodie cottam armorū dicimus. Certè omnia militaria ornamenta, paludamenta dixerim. Cic. 7. Verr. Cùm paludatus exiſſet, uotáque pro imperio ſuo, cōmuníque populi Rom. nuncupaſſet. Macedoniam.) excurſionibus Barbarorum, ut Thracum & Dardanorum uaſtatā, anteà uerò munitam plurimorum imperatorum trophæis, uictoriis, ac triūphis. Orat. de prouinc. Coſſ. Equitatum.) ead. Orat. Aduentus in Syriam primus, equitatus habuit interitum. Syriam.) cui præerat Gabinius ex lege Clodia. Cohortes præt.) Haud ſcio an ij ſint quos Cic. lib. 1. Epiſt. ad Q. frat. epiſt. 1. Conſulares comites dicit. Eſt & cohors ſatellitium uiri primarij. Emitur.) qui intercederet legi de meo

meo reditu latæ. Q. Numerium intelligit, de quo plura paulò pòſt dicemus. Gracchum.) ſeu T. ſeu C. Gracchũ intelligas nihil refert: uterque enim ſeditioſus, & Reip. pernicioſus, cum uerbis Remp. defenderent, re ipſa oppugnarent. 3. Tuſcul. Fatum.) fortuna quædã fatalis, εἱμαρμένη. Vepreculis.) agreſtibus locis. al. uepretulis: eſt autem uepretum, locus uepribus conſitus: uepres ſpinarũ ſepes, quòd uehementer prehendat. Nitedula.) genus eſt muris exigui. Seruius explicans illud Virg. 1. Georg. - ſæpe exiguus mus

Sub terris poſuitque domos, atque horrea fecit.

Nitelia legiſſe uidetur. Alter.) Tribunus pleb. nẽpe Sext. Attilius Serranus. Non ille Serranus.) priſcus ille Attilius Serranus Calatinus, cuius manus ruſtico opere attritæ ſalutẽ publicã ſtabilierunt. Val. Max. lib. 4. cap. 4. Sed ex deſerto.) Locus hic cõtaminatus miſerè uidetur, & uarietate lectionũ ſummè obſcurus: ego uerò duas haſce lectiones docto cuique facilè probari poſſe exiſtimarim. Hæc ſit prior, Sed ex deſerto Gaui Olelei horreo, calathis grauis, in Attilios Calatinos inſitus: ut Sext. Attilium Serranũ Tribunũ pleb. hominẽ ruſticũ fuiſſe ſignificet, qui ex tenuiſsimo Italiæ oppido Gauioleo, al. Gauio Oleleo, quaſi ex horreo quodam prodierit, grauis, id eſt, onuſtus calathis, quibus utebatur in ſeminãdo, quique tandẽ ſe latẽter inſinuarit in honeſtiſsimã familiã Attilij Calatini ducis Rom. unde eum inſititiũ dicit. Poſterior, & fortaſſe ſanior, eſt: Sed ex deſerto Gauio Lelio re à calatis ganeis, in Calatinos Attilios inſitus, ut Gauium Lelium oppidum Italiæ uiliſsimum ſignificet, unde oriundus erat hic Sext. Attilius Serranus Tribunus pleb. Re.) hoc eſt, re uera. A calatis ganeis.) à meretricum tabernis, ad quas tanquã uiator & accenſus aliquis Clodium & ſolutioris uitæ homines conuocabat, non ſecus quàm ad comitia quædam: erant enim Romæ calata comitia ſic dicta quòd calarentur, id eſt, claſſes uocarentur per ordinem. Irrepſerat itaque ex calatis ganeis, hoc eſt, meretricũ tabernis Serranus Tribunus pleb. in familiã honeſtiſsimi uiri Calatini, expuncto mutatóque nomine. In tabulas.) Noricus codex, tabulam legit. De tabula ſuſtulit.) quod ante habuerat proprium nomen expunxit, & dolo immutauit: id uerò plerunque fiebat ab iis qui creditores fraudare uellent.

P

Veniunt Calendæ Ianuarij: uos hæc melius ſcire poteſtis, equidem audita dico: quæ tum frequẽtia Senatus, quæ expectatio populi, qui concurſus legatorum ex Italia cuncta, quæ uirtus, actio, grauitas Publij Lentuli Conſulis fuerit, quæ etiam Collegæ eius moderatio de me: qui me inimicitias ſibi mecum ex Reipub. diſſenſione ſuſceptas eſſe dixiſſet, eas ſe dixit & temporibus & Reipublicæ permiſſurum. Tum princeps rogatus ſententiam L. Cotta, dixit id, quod digniſsimum Republica fuit, nihil de me actum eſſe iure, nihil more maiorum, nihil legibus: non poſſe quenquam de ciuitate tolli ſine iudicio: de capite nõ modo ferri, ſed ne iudicari quidem poſſe, niſi comitiis Centuriatis: uim fuiſſe illam, flãmam quaſſatæ Reipublicæ: perturbato undique tẽpore, iure, iudiciiſque ſublatis, magna rerum perturbatione impendẽte, declinaſſe me paululum, & ſpe reliquæ tranquillitatis, præſentes fluctus tempeſtatémque fugiſſe. quare cùm abſens Remp. non minus magnis periculis, quàm quodã tẽpore præſens liberaſſem: non reſtitui me ſolùm, ſed etiam ornari à Senatu decere. Diſputauit etiã multa prudenter, ita de me illũ amentiſsimũ & profligatiſsimũ hoſtem pudoris & pudicitiæ ſcripſiſſe quæ ſcripſiſſet, iis uerbis, rebus, ſentẽtiis, ut etiã ſi iure eſſet rogatũ, tamen uim habere non poſſet. Quare me qui nulla lege abeſſem, nõ reſtitui lege, ſed reuocari Senatus auctoritate oportere: hunc nemo erat, quin uerißimè ſentire diceret. Poſt eum rogatus Cn. Pompeius, approbata laudatáque Cottæ ſententiã dixit, ſeſe otij mei cauſa, ut omni populari concitatione defungerer, cẽſere, ut ad Senatus auctoritatem, populi quoq; Rom. beneficiũ erga me adiũgeretur.

Calendæ Ianuarij.) qua die inierũt Conſulatũ Lentulus & Metellus. Plinius lib.7.cap.12. Idem omnino tractatur à Cicer. Orat. in L.Piſ. Me Calend. Ian. qui dies poſt obitũ occaſumq; noſtrum, &c. Legatorum.) pro mea ſalute deprecantium. ead. Orat. Italia.) quæ ad me reuocandum conuolarat. Orat. pro dom. & mei capitis ſeruandi cauſa Romã, quaſi ſigno dato conuenerat. Orat. in Piſ. Virtus.) affectio animi conſtans. Actio.) orationis grauitas in Senatu. Collegæ.) Q. Metelli Nepotis fratris P. Clodij. Moderatio.) animi equitas, & grauitate tẽperata lenitas. Neque uerò dictio hæc uirtutẽ ipſam, quæ Modeſtia appellatur, reſpicit, ſed actionem ex ea fluentem, in qua laus uirtutis conſiſtit, κατάστασις eſt Græcis. Ex Reip. diſſenſione.) quòd in iis quæ ad Remp. ſpectabant, à me in ſuo Tribunatu diſſenſiſſet, ut me Conſulatu decedentẽ cõcionari prohibuerit. Orat. in L.Piſ. & epiſt. 2. lib. 5. Epiſt. fam. Temporibus.) In Norico cod. patribus, legitur: malim hanc noſtram. Permiſſurum.) ſic ut poſtea meæ ſalutis defenſor fuerit, & dignitatis adſcriptor. Orat. poſt red. in Sen. L. Cotta.) homo Cenſorius. Orat. pro dom. in mediocrium oratorum numero habitus. Cic. in Brut. Nihil actum.) ſic Cic. lib. 3. de legib. Quo uerius in cauſa noſtra uir magni ingenij, &c. Iure.) quo illud cauetur, ne niſi prædicta die quis accuſetur, & ut ter antè magiſtratus accuſet intermiſſa die, quàm multam irroget, aut iudicet. Orat. pro dom. Mores, iuris ſunt nõ ſcripti, leges uerò ſcripti, & more maiorum, quod fit, ſine lege fit. Iudicio.) niſi cauſa prius cognita & diſcuſſa. At de me nihil erat latũ, non adeſſe erã iuſſus, non citatus fuerã. Orat. pro dom. & non modò, dixit, pro non modò non. Comitiis Centuriatis.) magnis comitiis, de quibus antea diximus, & uerba legis 12. tabul. adiecimus. Magnum illud comitium cùm habebatur, populus, ex cenſu, ordinibus, ætate, deſcribebatur. Quaſſatæ.) concuſſæ, labefactatæ Tribunatu Clodij. Declinaſſe.) à Rep. aliquandiu abſuiſſe: ac uide, ut honeſto uerbo ſuũ exilium ſignificet. Reliquæ tranquillitatis.) Orat. poſt red. in Sen. Sed cùm uiderem me non diutius, quàm ipſam Rempub. &c. Non minus magnis periculis.) in quæ Reſp. incidiſſet, ſi aduerſus Clodium decertaſſem, nam Reipub. & uincere & uinci luctuoſum fuiſſet. Orat. poſt red ad Quirit. Illum.) P. Clodium.

Hoſtẽ pudoris & pudicitiæ.) Anteà monui ex Orat. de prouinc. Cõſ. Clodium turpiſſima libidine incenſum, duas res ſanctiſſimas religionem & pudicitiam uiolaſſe. Scripſiſſe.) legem quã de mea pernicie tulerat. Scribere ſimpliciter dixit pro legem ferre, ut γράφειν apud Demoſthenem. ex ſeipſa infirmabatur lex Clodia. Vim nullam habere.) cùm in ea falſa omnia ſcripta eſſent. Populari concertatione defungerer.) populi inuidia liberarer, ne qua popularis inuidia in me redũdaret, ſi ſolius Senatus decreto reuocatus eſſem. Defungi, liberari eſt aliqua moleſtia & negotio. Terent. in prolog. Eunuch. Defunctus iam ſum, nihil eſt quod dicat mihi. Adiungeretur.) de populi conſenſu lex de meo reditu ferretur. Pompeius uerò princeps fuit ad cohortandos & rogandos ciues pro Cicerone. Orat. poſt red. ad Quirit.

Cùm omnes certatim, aliúſque alio grauius atque ornatius, de mea ſalute dixiſſent, fierétque ſine ulla uarietate diſceſſio: ſurrexit, ut ſciatis, Attilius *hic* Gauianus*: nec auſus eſt, cùm eſſet emptus, intercedere: noctem ſibi ad deliberandum poſtulauit. Clamor Senatus, querelæ, preces, ſocer ad pedes abiectus.* Ille *ſe affirmare poſtero die morã nullam eſſe facturum. Creditum eſt: diſceſſum eſt.* Illi *interea deliberatori merces, longa interpoſita nocte duplicata eſt. Cõſecuti dies pauci omnino* Ianuario *mẽſe, per quos Senatum haberi liceret: ſed tamen actum nihil, niſi de me, cùm omni mora, ludificatione, calumnia, Senatus auctoritas impediretur. Venit tandem concilij de me agendi dies,* VIII *Calend. Febr. Princeps rogationis uir mihi amiciſſimus* Q. Fabricius, *templum aliquanto ante lucem occupauit. Quietus eo die Sextius, is qui eſt de ui reus, actor hic defenſorq́; cauſæ meæ, nihil progreditur, conſilia expectat inimicorum meorum. Quid illi, quorum conſilio* P. *Sextius in iudicium uocatur? quo ſe pacto gerunt? cùm forum*

rum

rum, comitium, curiam, multa de nocte armatis hominibus ac ſeruis pleriſque occupaſſent; impetum faciunt in Fa*bricium, manus adferunt, occidunt nonnullos, uulnerant multos: uenientem in forum uirum optimum & conſtantiſſimum* Ciſpium Tribunum *pleb. ui depellunt, cædem in foro maximam faciunt: uniuerſique diſtrictis gladiis & cruentis in omnibus fori partibus fratrem meum uirum optimum, fortiſſimum, meíque amantiſſimum oculis quærebant, uoce poſcebant: quorum ille telis libenter in tanto luctu ac deſiderio mei non repugnandi, ſed moriendi cauſa corpus obtuliſſet ſuum, niſi ſuam uitam ad ſpem mei reditus reſeruaſſet: ſubit tamen uim illam nefariam conſceleratorum latronum. & cùm ad fratris ſalutem à populo* Rom.*deprecandam ueniſſet, pulſus è roſtris in comitio iacuit, ſeque ſeruorum & libertorum corporibus obtexit, uitámque ſuam tum noctis & fugæ præſidio, non iuris iudiciorúmque defendit.*

Certatim.) magna animi contẽtione, ut alius alium præire conaretur in ſe ntentia de me ac meo reditu dicenda. Gallic.eſt, A qui mieux, A l'enuie l'un de l'autre. Dixiſſent.) Senatus auctoritatem ſecuti. Orat. poſt red. ad Quirit. mirum quàm hîc mendoſus ſit & falſus Ald. codex. Diſceſſio fieret.) omnes in Pompeij ſententiam irent. Diſcedebant in ſententiam ſenatores, ſi quando idem probarent: in diuerſa diſcedebant, ſi uariè ac diuerſe ſentirent.

Surrexit.) ut ſenatuſconſulto intercederet. Attilius Gauianus.) Ignominioſè Sextum Attilium Serranum, Gauianum appellat, ob eam cauſam quam paulò ante diximus. Emptus.) à meis inimicis mercede conductus. Orat. in L. Piſ. in qua Aſconius pro Attilius, Statilius legit, ſed parum emendate. atque ego hunc & Q. Numerium alterum Tribunum pleb. de lapide emptos à Cicerone in Piſon. dici exiſtimarim, quòd P. Clodio ſuum ſilentium, pretio ac mercede:

uendiderant,ſeu addixerant:perinde atque ſilentium illorum ſimiliter uenale fuiſſet,ac res quæ in auctionibus de lapide,hoc eſt,ſuperiore loco uenales proclamantur. Præcones enim ſtantes ſuper lapidem quem Græci πωλητήριον *appellant,res uenales pronuntiabant. Plaut.in Bacchidib.O ſtulte,ſtulte,neſcis,&c. Noctem ad deliberandũ poſtulauit.) epiſt.2.lib.4.epiſt.ad Att.& Orat. poſt red. ad Quirit.Atq; eo die confecta res eſſet,&c. Clamor Senatus.)cùm tam apertè is ordo à Serrano,qui interceſſerat, contemni uideretur. epiſt.2.lib.4.ad Att. Querelæ.)factæ ſunt grauiſſimæ, ut in interceſſorem ſententia diceretur. Socer.) Cn.Oppius Cornicen, al. Cornicinus,uir optimus. ead.epiſt.& orat. Ad pedes.)flens proiectus. Idem omnino fecit Oppius in cauſa domus Ciceronis,pro qua extat oratio,ut merito.ead.epiſt.lib.4.ad Att.Cicero hãc obiectionem,ueterem fabulam Cornicini appellet, ni fallor. Affirmare.) affirmabat.Terent.in And.aut equos alere,aut canes ad uenãdum.*

Nullã facturũ moram.) quo minus S.C.ualeat,& ſuam illã interceſſionem tollat. Diſceſſum eſt.) dimiſſus eſt Senatus. Duplicata eſt.) aucta.Orat.poſt red.ad Quirit.Ea deliberatio,inquit,nõ in reddenda,ſed ut patefactũ eſt,in augenda mercede conſumpta eſt.

Senatum haberi liceret.) Ianuario menſe plurimi dies erãt comitiales,quibus per legem Puppiam Senatus haberi non poterat:etſi cũ populo ageretur.Macrob.lib.1.Saturnal. Ludificatione.)fruſtratione,illuſione.Orat.pro Sex.Roſc.is apertè ludificari ac calumniari ſciens uidetur. Calumnia.) mendacio. Non.calumniam appellat malitioſam & mendacem infamationem. eſt & Ciceroni,calliditas lib.2.de Rep.Carneadi,inquit,reſpondeatis,qui ſæpe optimas cauſas, ingenij calumnia ludificari ſolet. Venit tandem cõcilij.) populi in concionem conuocandi, & cum eo de me reuocando agendi. die 25. Ianu. Dictio,tandem, in Norico & Ald.cod.omiſſa eſt. Princeps rogationis.) is rogationis princeps erat,ſicuti & accuſationis,cui cæteri ſubſcribebant. Quietus.) ut qui eo die de armis minimè cogitaret. Reus.) Poſtulatus à Cn.Nerio Pupinia de ambitu,& eodẽ die à quodam M.Tullio de ui,lege Plautia.epiſt.Scripſi ad te antea. lib.2.Epiſtol.ad Q. frat. Hic.) Q. Fabricius.de quo uide Orat. poſt red.in Sen. Quo pacto.) quàm inſolenter,quàm iniquè,quàm furioſè.

furioſè. Forum,curiā,comitiū.) Forum ubi agebantur cauſæ, Curia ubi habebatur legitimus Senatus, & Comitiū ubi ad populum habebantur conciones, ſibi proxima erant. Ful.Sabin.lib.4.antiq.urb.

Occidunt multos.) explicatur à Cic.Orat.poſt red.ad Quirit. At inimici mei menſe Ianu.&c. Cædē faciūt.) & ad magiſtratuum domos cum ferro & facibus eunt. ead.Orat. Ciſpium.) M.Ciſpiū: & quia in Orat.poſt red.in Sen.huius non fit mentio, plerique exiſtimarunt C.Ceſtilium, qui in Ciceronis cauſa minimè uarius fuit, ſcribi debere. Deſiderio.) ut qui nō ſibi diutius uiuendum, niſi me reſtituto, putaret.Orat.pro dom. Subit tum illam.) totus hic locus ab Aldo temerè eſt prætermiſſus. Pulſus roſtris.) unde habebātur cōciones.Cic.pro foro & roſtris templum mihi dixiſſe uidetur. Orat. pro lege Man. Teſtor, inquit, omnes deos, & eos maximè qui huic loco, templóque præſident.id eſt, in foro & roſtris. De roſtris ſcribit Liu.lib.8.Decad.1. Naues Antiatiū partim in naualia Romæ ſubductæ, &c. Iacuit.) moribundus. Noctis.) ſic de Niſo & Euryalo ſcribit Virg.lib.9.Aeneid. Nihil illi tendere contra.

Sed celerare fugam in ſyluas, & fidere nocti.

Iuris iudiciorúmque.) cùm id per homines à Clodio conuocatos, armatóſque non liceret, & per uim omnia in Rep.agerentur.

Meminiſtis tum Iudices corporibus ciuiū Tiberim cōpleri, cloacas refarciri, è foro ſpongiis effundi ſanguinem, ut omnes tantam illam copiam, & tam magnificum apparatum, non priuatum aut plebeium, ſed patricium & prætorium eſſe arbitrarentur, nihilque neque ante hoc tēpus, neque hoc ipſo turbulentiſsimo die criminamini Sextium. Atqui uis in foro uerſata, certè. Quando enim maiores lapidationes perſæpe uidimus? nō ita ſæpe: ſed nimiū tamen ſæpe gladios: cædē uerò tantam, tantos aceruos corporum obſtructos, niſi fortè illo Cinnano atque Octauiano die, quis unquam in foro uidit? qua ex concertatione animorum? nam ex pertinacia, aut conſtantia interceſſo-

ris oritur ſæpe ſeditio, culpa, atque improbitate latoris, cõmodo aliquo imperitis, aut largitione propoſita: oritur ex concertatione magiſtratuum: oritur ſenſim ex clamore primum, deinde aliqua diſceßione concionis: uix ſerò & rarò ad manus peruenitur: nullo uerò uerbo facto, nulla cõcione aduocata, nulla lege concitata, nocturnã ſeditionem quis audiuit? An *ueriſimile eſt, ut ciuis* Romanus, *aut homo liber quiſquam cum gladio in forum deſcenderit ante lucem, ne de me ferre pateretur, præter eos qui ab illo peſtifero, ac perdito ciue iampridem* R.P. *ſanguine ſaginantur?* Hic etiã *de ipſo accuſatore quæro, qui* P. Sextiũ *queritur cum multitudine in* Tribunatu, *& cum præſidio magno fuiſſe, num illo die fuerit? certè non fuit.*

Tiberim compleri.) Eo coniecerant Clodiani cæſorum cadauera ad extenuandam cædis inuidiam. Cloacas.) receptacula purgamẽtorum urbis. Liu. lib. 1. Decad. 1. apud quem fit mentio cuiuſdã Cloacinæ deæ. lib. 3. Decad. 1. non quæ cloacis, ſed bellis præeſſet, ut Cluacina à Cluendo, ni fallor, id eſt, pugnãdo dicatur. Plin. lib. 15. cap. 29. Spongiis.) quibus ueteres utebantur in abſtergẽda eluuie, ac ſordibus purgandis. Samnitibus in bello ſpongia pectoris fuit tegumentum. Liu. lib. 9. Decad. 1. Effundi.) purgari. Magnificũ apparatum.) gladiatorum, tãquam ludus quidã gladiatorius populo cõpararetur aut exhiberetur. Priuatum aut plebeium.) ab homine tum in Rep. nulla dignitate prædito: ut Clodium perſtringat, qui tum priuatus gladiatores cõtra ius habuerit. Nihilq; neque.) hic fortaſſe adiicienda uideatur ſtellula: quippe locus ſenſu careat, niſi legas, Nihil ne neq; ante hoc tempus, &c. & interrogationẽ addas. Turbulentißimo.) quo eſt maxima cædes, & lapidatio facta. Atqui uis.) Remouet à Sextio crimen uis cõcitatæ, & in aduerſarios transfert. Cæterum illud ſtatuamus Aldum incidiſſe in mendoſum codicem, ut qui uniuerſum hũc locum prætermittat in libris à ſe excuſis Anno Domini 1519. Verſata.) facta, uulnerati ac trucidati multi in

ti in foro. Lapidationes.) iactus lapidum. Obſtructos.) Lego extructos, hoc eſt, accumulatos & excitatos. Cinnano atq; Octauiano.) quo Cinna & Octauianus Coſſ. contrariis ſtudiis ac uoluntatibus inter ſe diſſiderunt. Cornelius Sylla leges per uim ferens pulſus eſt urbe à Cn. Octauio collega, tãdem uerò Cinna & Marius in urbẽ recepti, uelut captã eam cædis & rapinis uaſtarunt, interfecto Cn. Octauio Conſule, & omnibus aduerſæ partis nobilibus trucidatis. App. lib. 1. bell. ciuil. & Flor. lib. 79. & 80. Cic. Orat. de Aruſp. reſpõ. & Orat. pro dom. Iniquitatem temporis Cinnani dicit. Pertinacia aut conſtãtia interceſſoris.) cũ quis nimis obſtinatè intercedit. Cic. Orat. pro Marcell. Quæ pertinacia quibuſdam, eadem aliis conſtantia uideri poteſt: ea autem in magnitudine animi facilè innaſcitur: ut ſcribit M. Tull. lib. 1. Offic. Commodo aliquo imperitis.) Vetuſti codices, alij aliter habent. ſunt qui legendum credant, impeditis, ut quia lator ex promulgatione ſuæ legis ſpem alicuius commodi populo oſtentet: alij, impediti: quæ lectio magis probatur, ut de latore hoc dicatur, qui legem ut ferat, aliquo commodo aut largitione ducitur. Diſceſſione concionis.) ob uarietatem ſententiarũ, cũ aliud alij placeat, & populus ipſe in contrarias ſentẽtias diſcedat. Nullo uerbo facto.) nulla uerborum altercatione aut concertatione facta. Exaggerat genus concitatæ ſeditionis, & multitudinis comparatæ à Clodio. Præter eos.) latrones, ſicarios, perditos ac egẽtes homines. Orat. pro dom. reuocatis nempe ad ſpem cædis & incendiorum copiis Catilinæ, ut idem ipſe ſcribit Orat. poſt red. in Sen. Sãguine.) internecione, calamitate. & Saginãtur, dixit. hoc eſt, belle ac egregie fouentur, nutriuntur: inuidioſum uerbum, haud multò poſt dicet, diſcordiis ciuium, ac ſeditione paſcantur. Ipſo accuſatore.) M. Tullio. 2. epiſt. paulò ante citata. Multitudine.) manu gladiatorũ, ac ſatellitio: quod firmum ſatis argumẽtum uidebatur, uim illum facere uoluiſſe. Illo die.) tumultus & cædis Clodianæ.

Victa igitur eſt cauſa Reip. *& uicta non auſpiciis, nõ interceſſione, non ſuffragiis, ſed ui, manu, ferro. nam ſi obnuntiaſſet* Fabricio *is* Tribun. *pleb. qui ſeruaſſe de cælo dixerat, accepiſſet* Reſp. *plagam: ſed eam, quam acceptã ge-*

mere poſſet. Si *interceſſiſſet* Collega Fabricio, *læſiſſet* R. P. *ſed* R. P. *iure læſiſſet. Gladiatores tu nouitios pro expectata ædilitate ſuppoſitos, cùm ſicariis è carcere emiſſis ante lucem in forum immittas? magiſtratus templo deiicias? cædem maximã facias? forum purges? & cum omnia ui & armis geſſeris, accuſes eum, qui ſe præſidio munierit, nõ ut te oppugnaret, ſed ut uitam ſuam poſſet defendere?* Atqui *ex eo quidem tempore id egit* Sextius, *ut à ſuis munitus, tuto in foro magiſtratum gereret,* R*emp. adminiſtraret.* I*taque fretus ſanctitate* T*ribunatus, cùm ſe non modò cõtra uim & ferrum, ſed etiam cõtra uerba atque interceſſionem legibus ſacratis eſſe armatum putaret: uenit in tẽplum* Caſtoris, *obnũtiauit* Conſuli: *cùm ſubitò manus illa* Clodiana *in cæde ciuium ſæpe iam uictrix, exclamat, incitatur, inuadit: inermẽ atque imparatum* Tribunum *alij gladiis adoriuntur, alij fragmentis ſeptorum & fuſtibus: à quibus hic multis uulneribus acceptis, ac debilitato corpore & contrucidato, ſe abiecit exanimatus: neque ulla alia re ab ſe mortem, niſi opinione mortis depulit: quẽ cùm iacentem, & conciſum plurimis uulneribus extremo ſpiritu exanguem & confectum uiderẽt: defatigatione magis & errore, quàm miſericordia & modo, aliquando cædere deſtiterunt.* Et *cauſam dicit* Sextius *de ui? quid ita? quia uiuit. at id nõ ſua culpa, plaga una illa extrema defuit: quæ ſi acceſſiſſet, reliquum ſpiritum exhauſiſſet. accuſa* Lentidium, *non percuſſit locũ: maledicito* Sabinio *homini* Reatino, *cur tam temerè exclamarit occiſum. ipſum uerò quid accuſas? num defuit gladiis? num repugnauit? num ut gladiatoribus imperari ſolet, ferrum non recepit? an hac ipſa*

uis

uis eſt,non poſſe emori?an illa quòd Tribunus *pleb. templum cruentauit? ad quod cùm eſſet ablatus, primúmque reſipuiſſet, non ſe referri iuſſit? ubi eſt crimen quod reprehenditis?*

Victa igitur.) negat alios quàm ſeruos & gladiatores coactos fuiſſe,& cauſam Reip.accipe,quam tuebatur Fabricius: nempe ut reuocaretur Cicero,& Reip.reſtitueretur. Non auſpiciis.) quaſi ea de me legē ferri uetarent,quæ nunquā capta fuiſſent. Orat. de aruſp. reſpon. imò potius ſpreta, ſublatis legibus Aelia & Fuſia. Interceſſione.)alicuius Tribuni pleb. Intercedere,interuenire eſt,impediēdi cauſa. Is Tribun.pleb.)fortaſſe Q.Numerius,qui ne de Cicerone reuocādo lex ferretur,falſò ſe de cœlo ſeruaſſe dixerat. Suſpicatus ſum aliquando legi oportere: Nam ſi obnunciaſſet Fabricio Prætor is,&c.ut Ap.Clodium prætorem ſignificet Clodij fratrem:idq́; ſatis commodè colligi poteſt ex epiſt.1.lib.4.Epiſt.ad Att.al.qui de cœlo ſeruatum dixerat. Gemere poſſet.) quòd tum nulla uis ſubeſſet: ægrè ferret tamen me ob emētita auſpicia reuocari nō poſſe. Si interceſſiſſet.) aut Numerius,aut Attilius Serranus: at neque obnūciatū,neque interceſſum,ſed tētata omnia per ſicarios & coactos gladiatores. Læſiſſet.) ſua illa fraudulenta,malitioſaq́; interceſſione. Iure.) quòd intercedere Tribuno pleb.liceat:uerba legis 12.tabul. hæc ſunt: Quod Tribuni prohibeſſint,ratum eſto. Nouitios.) rudes adhuc,& in familiam gladiatorum nondum adſcriptos,ne ſine cauſa ante tēpus habuiſſe uideretur.Plauto in Capt.nouitius ſeruus,nuper emptus dicitur,& qui nondum annum ſeruierit.

Recens captum hominem,& nuperum & nouitium

Te perdocere? Expectata ædilitate.) petebat enim poſt Tribunatum, ædilitatem Clodius, in qua ludos gladiatorios ſimulabat edere ſe uelle,cùm id ageret ut uim faceret. Vnde eos ſuppoſitos dixit,hoc eſt,ſimulatos à Clodio ad ædilitatem ornandam,ſed re uera ad uim quæſitos.Nam ea ſupponi dicuntur,quæ ſubiiciuntur pro ueris & fraude commutantur.Expectatum, deſideratum dicimus: & expectatus parens Terent.in Adelp.is eſt qui ſit odio filiis, & cuius mors quotidie deſideretur. E carcere emiſſis.) extractis.Fortaſſe du-

ctum à canibus, qui in feras immittuntur. Forũ purges.) ſpongiis. Pudet me toties monere Aldinum codicem omnino mendis ſcatere, ut multa hîc temerè ſint prætermiſſa. Atqui ex eo.) Sextius in tanta cæde bonorum ciuium, tanto furore Clodij, tanta gladiatorum multitudine quid egit? ſuam ſalutem ſibi ſuorum præſidio tutandam eſſe putauit: præcipuè cùm ad magiſtratuum domos cum ferro & facibus iretur. Orat. poſt red. ad Quirit. A ſuis.) nõ gladiatoribus, ſed amicis. Foro.) armatis hominibus à Clodio occupato. Magiſtratum gereret.) ſe Tribunũ Reip. ſtudioſum oſtenderet, ſalutẽ publicã ex officio procuraret. Sanctitate.) ſacroſancta poteſtate Tribunitia: ait lex 12. Tabul. Tribuni ſancti ſunto, né ue plebem orbam Tribunis relinquuntor: eos ſanctos dicit, quos uiolare nefas ſit, ut qui præſides eſſent, ac cuſtodes cõmunis libertatis. 2. Orat. in Rull. Atq; ut Lacedæmone Ephori regibus oppoſiti erant, ſic apud Rom. Conſulibus Tribuni. Cic. lib. 3. de legib. Contra uerba.) ne quis eſſet, qui auctoritatem Tribunitiam etiam uerbo uiolaret. Interceſſionẽ.) non deerunt fortaſſe, qui interfaſsionem legẽdum eſſe putent, quippe nefas eſſet Tribuni pleb. actionem aut concionem interpellare, aut ei finem dicendi imponere. Templum Caſtoris.) ubi Conſul Metellus cum populo agebat, & ornatiſsimè de mea cauſa diſceptabat. Orat. poſt red. in Sen. Quo quidẽ die cũ CCCCX, &c. Obnũtiauit.) Metello renuntiauit ſe de cælo ſeruaſſe, atque ita conſilium diremit, non tam mei reditus impediendi cauſa, quàm ne cõfirmarentur acta Clodij, & rata eſſent. Septorum.) tabulatorum, in quibus ſedẽs populus, in iiſdémque ueluti concluſus ſuffragium ferebat. Cic. in Ant. Quibus ſeptis tam immanes belluas cõtinebimus. Vulneribus acceptis contrucidato.) Orat. poſt red. in Sen. fortiſsimi atq; optimi uiri Tribun. pleb. ſanctiſsimum corpus, &c. & cõtrucidatum dicit, quòd eadem Orat. confectum ait, cùm ſuam erga Ciceronem beneuolentiam & fidem, non ſolùm animi dolore, ſed etiam corporis uulneribus oſtenderet. Niſi opinione mortis.) niſi quia Clodiani illum interfectum eſſe putabant. Errore.) falſa opinione mortis Sextij, quem ſe illi interfeciſſe putabant, & uulneribus infligẽdis defatigati eſſent. De ui.) lege Plautia, al. Plotia, qua tenebantur omnes qui armati Senatũ obſediſſent, magiſtratibus uim attuliſſent,

Remp.

Remp.oppugnaſſent. Lata eſt an. urb.condit.676,quo tempore M. Aemylius Lepidus,& Q.Luctatius Catulus pernicioſa inter ſe diſſidia alebant.Flor.lib.90.Plin.lib.35.cap.3.Cic.Orat.pro M. Cæl.

Plaga extrema.) quæ hominem conficeret. Exhauſiſſet.) reliquam effudiſſet animam. Locum non percuſſit.) uitales corporis partes ferro non attigit.Ductũ à gladiatoribus, qui cũ aduerſarium uulnere affeciſſent,& ferro proſtrauiſſent, locũ appetiſſe,ac eas partes percuſſiſſe dicebantur, quibus uita contineretur. Reatino.) ex præfectura Reatina oriundo.Reate oppidum Sabinorum. Plin.lib.3. cap.12. Ipſum.) P.Sextium. Defuit gladiis.) ferro ſe præbuit?

Ferrum non recepit.) iugulũ non præbuit. Hoc quoque à gladiatoribus ductum,qui in arena iacentes, ad ferrum aduerſarij qui eos proſtrauerat, neque collum contrahebant, neque manus opponebãt, neque pedes iactabant, ſed iugulum & latus præbebant domino uel populo præcipiente,unde ferrum recipere dicebantur. Cic.2.Tuſcul. Quis cùm decubuiſſet ferrum recipere iuſſus,collum cõtraxit? Reſpiraſſet.) ad ſe ex animi defectione tãtis uulneribus acceptis,rediiſſet. Refer.) ad forum,in quo tot uulnera à Clodianis acceperat?

Hic *quæro* Iud.*ſi illo die gens iſta* Clodiana,*quod facere uoluit,effeciſſet:ſi* P.Sextius,*qui pro occiſo relictus eſt, occiſus eſſet: fuiſtis ne ad arma ituri? fuiſtis ne uos ad patrium illum animum, maiorúmque uirtutem excitaturi? fuiſtis ne aliquando* Remp.*à funeſto latrone repetituri? an etiã tunc quieſceretis,cunctaremini,timeretis,cùm* Remp. *à facinoroſiſſimis ſicariis,& à ſeruis eſſe oppreſſam atque occupatam uideretis? Cuius igitur mortem ulciſceremini,ſi quidẽ liberi eſſe,& habere* Remp.*cogitaretis: de eius uirtute uiri,quid uos loqui, quid ſentire, quid cogitare, quid iudicare oporteat,dubitãdum putatis?* At *uerò illi ipſi parricidæ,quorum effrenatus furor alitur impunitate diuturna,adeo uim facinoris ſui perhorruerãt, ut ſi paulò lõgior opinio mortis* Sextij *fuiſſet,*Gracchum *illum ſuum tranſ-*

ferendi in nos criminis cauſa occidere cogitarint. Sēſit ruſticulus non incautus (neque enim homines nequam tacere potuerunt) ſuum ſanguinem quæri ad reſtinguēdam inuidiam facinoris Clodiani: *mulioniam penulam arripuit, cum qua primum* Romam *ad comitia uenerat: meſſoria ſe corbe contexit: cùm quærerent alij* Numeriū, *alij* Quintium, *gemini erroris nomine ſeruatus eſt: atque hoc ſcitis omnes, uſqueadeò hominem in periculo fuiſſe, quoad ſcitū ſit* Sextium *uiuere: quod niſi eſſet patefactum paulò citius quàm uellem, non illi quidem morte mercenarij ſui transferre potuiſſent inuidiam in quos putabāt, ſed acerbiſſimi ſceleris infamiam grato quodam ſcelere minuiſſent.*

Hic quæro.) argumentum à cōtrario per fictionem. Sextio interempto Reſp. mortē illius eſſet ultura, non itaque reprehēdendus Sextius, qui uitam ſuam contra uim Clodianam munierit, & illius furoribus obſtiterit. Gens.) multitudo, copiæ Clodianæ: propriè autem natio eſt. Virgil. 1. Aeneid.

Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor.

Nihil uerò ad uinculum ſanguinis gētem pertinuiſſe rectè ex Papin. docet Alciat. lib. 1. Parerg. cap. 12. contra Sypont. grammaticum.

Maiorúmque uirtutē.) quæ pernicioſos ciues, ut acerbiſſimos hoſtes coercuerunt. Orat. 1. in Catil. eorum furores fregerūt, languidam ac inermem audaciam reddiderunt. Repetit.) uindicaturi à latrocinio Clodiano. Cuius.) ut Sextij. Liberi eſſe.) à ſeruitute Clodiana. Cùm enim omnis ſeruitus ſit miſera, tum uerò intolerabile eſt ſeruire impuro, impudico, effœminato. Philipp. 3. At uerò.) ſed & aduerſariorum conſciētia (inquit) teſtis eſt ſceleris Clodiani: & parricidas Clodianos intelligit, qui de opprimenda Rep. cogitarent. Effrenatus furor.) Infrenes ſeu infrenatos dicimus, qui cohiberi & pro arbitrio noſtro agi non poſſunt. Impunitate.) quæ maxima eſt illecebra peccandi. Orat. pro Mil. Facinoris.) cædis Sextianæ. Perhorruerant.) deteſtabātur, pertimeſcebant. Horrere & reformidare

re

re dolorem. Cic. in Tuſculanis. Gracchum illum.) Q. Numerium Tribunum pleb. quem homines in luctu ciuitatis irridẽtes Gracchũ appellabant: ſiue de C. Graccho, ſiue de Tyberio intelligas, nihil aut certè parum refert, cùm uterque legibus Agrariis Reip. pernicioſus fuerit. Cic. lib. 2. Tuſcul. Transferẽdi.) ut qui, cùm Tribunus pleb. eſſet, occiſus à nobis crederetur: eámque interfecti Tribuni pleb. inuidiam ſubiremus. Trãsferre crimen, eſt à ſe remouere, & in alium transfundere. Facinoris Clodiani.) cædis ciuium à ſeruis Clodij in foro perpetratæ, niſi mauis ad Sextium referre à Clodianis trucidatum. Mulionia.) Venuſte hæc atque adeò ualde probabiliter ficta à Cicerone in eũ qui ruſticus antea & mulio fuiſſet. Corbe.) uaſe ruſtico uimineo ſic nuncupato, teſte Varrone, quòd in ea ſpicæ corruerentur, id eſt, coniicerentur. Cùm quærerent.) eodem in ioco perſeuerat: re uera enim Quintus Numerius dicebatur. at ficta omnia à Cicerone, ut illum obſcurum ac nouum fuiſſe hominem ſignificet.

Mercenarij.) quem emerent, ut intercederet. In quos.) nempe in bonos ac liberos ciues, quos non eſt uerisimile cum gladiis in forũ deſcendiſſe ante lucem. Grato ſcelere.) Numerij internecione, cuius ſpecie ſperabat ſe facilè à ſe depellere poſſe omnem inuidiam cædis Sextianæ, & bonorum ciuium.

Ac ſi tunc P. *Sextius* Iud. *in templo* Caſtoris *animam quã uix retinuit, edidiſſet: non dubito quin, ſi modò eſſet in* Rep. *Senatus, ſi maieſtas populi* Rom. *reuixiſſet, aliquãdo ſtatua huic ob* Rẽp. *interfecto in foro ſtatueretur.* Nec *uerò illorum quiſquã, quos à maioribus noſtris morte obita poſitos in illo loco, atque in roſtris collocatos uidetis, eſſet* P. *Sextio aut acerbitate mortis, aut in* R*emp. animo præponendus: qui cùm cauſam ciuis calamitoſi, cauſam amici, cauſam bene de* Rep. *meriti, cauſam* Senatus, *cauſam* Ita*liæ, cauſam* Reip. *ſuſcepiſſet: cúmque auſpiciis religioniq; parens obnuntiaret quod ſenſerat: luce palàm à nefariis peſtibus in deorum hominúmque conſpectu eſſet occiſus,*

ſanctiſsimo in templo, ſanctiſsima in cauſa, ſanctiſsimo in magiſtratu. Eius igitur uitam quiſquam ſpoliandam ornamentis eſſe dicet, cuius mortem ornandam monimento ſẽpiterno putaretis? Homines, inquit, emiſti, coëgiſti, paraſti: quid uti faceret? Senatũ obſideret? ciues indẽnatos expelleret? bona diriperet? ædes incenderet? tecta diſturbaret, tẽpla deorũ immortalium inflãmaret? Tribunos pleb. ferro è roſtris expelleret? prouincias quas uellet, quibus uellet, uenderet? Reges appellaret? rerum capitalium condemnatos, in liberas ciuitates per legatos noſtros reduceret? principẽ ciuitatis ferro obſeſſum teneret? hæc ut efficere poſſet, quæ fieri niſi armis oppreſſa Rep. nullo modo poterant, idcirco, credo, manum ſibi P. Sextius & copias cõparauit.

Ac ſi tunc.) Si à Clodiana manu Sextius interfectus fuiſſet amplificatus, ornatus etiã ſtatua fuiſſet, non ergo accuſandus, aut famoſo iudicio affligenda illius uita. Id autem probat exemplis illuſtrium uirorũ, qui pro Rep. occubuerunt, quibus Sextij cauſam parem facit.

Templo Caſtoris.) quo uenerat obnuntiatum Metello Conſuli.

Edidiſſet.) exhalaſſet. agere & efflare animam. Cicer. 1. Tuſcul. amittere animam. Orat. pro Mil. Statua.) quæ erigebatur iis qui uel pro Rep. occubuiſſent, uel quid dignum memoria geſsiſſent. Liu. lib. 8. Decad. 4. Ne Gracchi quidem oratio aut Petiliorũ, &c. Cic. Orat. pro Arch. poet. Statuæ & imagines nõ animorum ſimulachra ſunt, ſed corporum. Roſtris.) tanquam in celeberrima ac eminentiſsima parte ciuitatis. Liu. loco iam citato. Cauſam ciuis.) meam cauſam. De Rep. meriti.) qui Remp. ſeruaram, ut nemo tam inimicus patriæ eſſet, qui illud præſtitiſſe me non fateretur. Orat. pro dom. Cauſam.) quã uniuerſa Italia ſuſceperat miſsis legatis. Orat. in L. Piſ. & cuius ampliſsima decreta de mea ſalute fuerant. Orat. pro dom. Deorum.) Caſtoris & Pollucis. magnus itaque religionis contemptus in Clodio: &, Peſtes, Clodianos dixit. Sanctiſsimo magiſtratu.) Tribunatu, quem anteà ex 12. tabul. ſanctum appellari

diximus

diximus. Dicet.) al.ducet. Homines,inquit.) artificioſè inuidiam uerborum legis Plotiæ de ui,transfert in aduerſarios : maximè uerò in Clodium,qui eam,ut cæteras omnes Reip.ſalutares, leges ſuſtulerat: & cùm hanc inuidiam à Sextio remouet,ſimul cauſam adfert hominum coactorum. Qui uti faceret.) quam ad rem tãdem habuit? Senatum obſideret.) diſſimulanter ſcelera Clodij mihi recenſere uidetur. Tribunos pleb.) ut Clodius Fabricium expulit, Sextiũ ipſum penè uulneribus confecit. Deorum.) Orat. pro Mil. Religiones mehercule ipſæ aræque. &c. Condemnatos.) ut exules Byzantium ciuitatem liberam reduxit:ea demũ ciuitas uerè libera eſt,quæ iure à ſe conſtituto,ſuiſque legibus uiuit. Per legatos.) ut per M.Catonem. Principem ciuitatis.) Cn. Pompeium. Orat. pro dom. & pro Cn.Plan.Ego Pompeium non tuear,&c. Credo.) εἰρωνικῶς. ſic Orat.pro Mil.diem mihi,credo, dixerat,mulctã irrogarat,actionem Perduellionis intẽderat.Noricus codex,compararat, legit,ſed corruptè meo quidem iudicio.

At nondum erat maturum,nondũ res ipſa ad eiuſmodi præſidia uiros bonos compellebat : pulſi nos eramus, non omnino iſta manu ſola,ſed tamen non ſine iſta : uos taciti mirabamini.Captum erat forum anno ſuperiore,æde Caſtoris tanquam arce aliqua à fugitiuis occupata:ferebatis. omnia hominum cùm egeſtate,tum audacia perditorum, clamore,concurſu,ui,manu gerebantur:perferebatis. magiſtratus templis pellebantur : alij omnino aditu ac foro prohibebantur: nemo reſiſtebat. gladiatores ex Prætoris *comitatu comprehenſi,in* Senatum *introducti, confeſſi, in uincula coniecti à* Milone*,miſſi à Serrano : mentio nulla. forum corporibus ciuium* Romanorum *conſtratum cæde nocturna : non modo nulla noua quæſtio,ſed etiam uetera iudicia ſublata.* Tribunum *pleb. plus uiginti uulneribus acceptis iacentem moribundúmque uidiſtis: alterius* Trib.

pleb. diuini hominis (dicã enim quod ſentio, & quod mecum ſentiũt omnes) diuina, inſigni quadam, inaudita, noua magnitudine animi, grauitate, fide præditi: domus eſt oppugnata ferro, facibus, exercitu Clodiano. Et *tu hoc loco laudas* Milonem, *& iure laudas: quem enim unquam uirum tam immortali uirtute præditum uidimus, qui nullo præmio propoſito, præter hoc, quod iam contritum & cõtemptum putatur, iudiciũ bonorum, omnia pericula, ſummos labores, grauiſſimas contentiones, inimicitiáſque ſuſcepit? qui mihi unus ex omnibus ciuibus uidetur re docuiſſe, non uerbis, quod oporteret à præſtantiſſimis uiris in* Rep. *fieri, & quid neceſſe eſſet: oportere hominum audacium, euerſorum* Reip. *ſceleri, legibus & iudiciis reſiſtere: ſi leges non ualerent, iudicia non eſſent, ſi* Reſp. *ui conſenſúque audacium armis oppreſſa teneretur, præſidio & copiis defendi uitam & libertatem neceſſe eſſe. hoc ſentire prudentiæ eſt: facere fortitudinis: ſentire uerò & facere, perfectæ cumulatæq; uirtutis.* Adiit ad Remp. Tribunus pleb. Milo: *de cuius laude plura dicam, non quò aut ipſe hæc dici, quàm exiſtimari malit: aut ego hunc laudis fructũ præſenti libenter impertiam, præſertim cùm uerbis conſequi non poſſim: ſed quòd exiſtimo, ſi* Milonis *cauſam accuſatoris uoce collaudatam probaro, uos in hoc crimine parem* Sextij *cauſam exiſtimaturos.*

Maturum.) opportunum exercitum & copias comparare, cùm Clodius regnaret, omnia per ſicarios & egentes teneret. Sextij autem factio admodũ infirma eſſet. Nota eſt metaphora. Magnã hîc lacunam in Ald. cod. deprehendes. Non ſola.) ſed & Cæſaris, Pompeij, Craſſi, Hortẽſij, ut ſæpe monui ex lib. 3. Epiſt. ad Att. & lib. 1. Epiſt.

Epiſt. ad Q. frat. Mirabamini.) al. uos taciti, mœrebant boni. In Germanico codice legas, taciti mœrebamini: quia uobis per Conſules lugere, & dolorem ueſtrum indicare non liceret. Anno ſuperiore.) quo Tribunus pleb. fuit Clodius & Coſ. Piſo & Gabinius.

Fugitiuis. Orat. pro dom. In Senatum non uenirem, cùm præſertim te iam illinc cum tua fugitiuorũ manu diſceſſiſſe conſtaret? Aditu.) ead. Orat. Cùm in templum Caſtoris aditus eſſet apertus nemini. Foro.) armatis cateruis perditorum hominũ poſſeſſo. ead. Orat.

Prætoris.) Appij Clodij. epiſt. 1. lib. 4. Epiſt. ad Att. qui tamen unà cum Pompeio fidem receperat Clodium fratrem ſuum nihil cõtra me in Tribunatu eſſe facturum. epiſt. Quàm uellem Romæ mãſiſſes. lib. 2. Epiſt. ad Att. Introducti.) ut interrogarentur. Miſſi.) emiſſi, & carcere liberati à Sex. Attilio Calatino. Trib. pleb. al. Serano, ut à ſerendo dicatur. Mentio nulla.) nemo ea de re in Senatu conqueſtus. Conſtratum.) oppletum, contectum, cùm illi putarent meum reditum nõ populi ſuffragiis, ſed flumine ſanguinis eſſe intercludendũ. Orat. poſt red. in Sen. & Orat. ad Quirit. At inimici mei menſe Ianu. &c. Nulla noua quæſtio.) nullum extraordinarium iudicium conſtitutum: quod plerunque ex Senatuſconſulto fiebat, prætermiſſis uſitatis iudiciorũ legibus, uſu ita exigente, & quòd ea habẽdi, conſtituendíue iudicij ratio multo expeditior eſſet. Id ſcite admodum obſeruarunt magni nominis Iureconſulti ad Tit. de extraord. criminib. lib. 47. D. Sed & Præſes de negotio extra ordinem cognoſcit: quod noſtri dicunt uenire per requeſtam. Trib. pleb.) P. Sextium. Orat. poſt red. in Sen. fortiſſimi atque optimi uiri Tribuni pleb. &c. Moribundum.) ſeruatum autem præſidio Beſtiæ. epiſt. Scripſi ad te anteà. lib. 2. epiſt. ad Q. frat. Alterius.) T. Annij Milonis, cuius omnis actio, ratio, cogitatio, totus denique Tribunatus, nihil aliud fuit, niſi conſtans, perpetua, fortis, inuicta defenſio ſalutis meæ. Orat. poſt red. in Sen. Diuina.) in pleriſque cod. dictio hæc non legitur. Domus.) ipſi Miloni à C. Annio auo paterno cũ reliqua hæreditate relicta. Aſcon. Orat. pro Mil. Oppugnata.) pridie Id. Nouemb. epiſt. 3. lib. 4. Epiſt. ad Att. in qua cũ Ceramio legatur, uide num legẽdum ſit, in Carinis, ubi fuit Ciceronum auita domus iuncta Palatio. Et tu hoc loco.) Inuadit aduerſariorum le-

uitatem à pari: cùm in eadem cauſa fuerint Sextius & Milo.
Contritum.) commune & uulgare. Cùm exiſtimet uulgus nullum ferè eſſe uirtutis præmium, niſi inde ſumma aut utilitas, aut uoluptas enaſcatur. Iudicium bonorum.) atque illud uera eſt, & ſolida gloria. Cic. 3. quæſt. Tuſcul. Seneca.

Leuis eſt, nec illum ſtimulat gloriæ decus.

Leuitatem uocat, non appetere gloriam, hoc eſt, non uereri bonorum iudicia. Non uerbis.) otioſa quadam iactatione. Lacedæmoniis nunquam probari potuit Athenienſium ignauia, cùm illi uirtutem ipſis factis præſtarent, ij uerò compoſitis arte uerbis de uirtute nugarentur. Neque uerò in homine linguæ uolubilitas, ut uirtus & integritas requiri ſolet. Cic. Orat. pro Cn. Plan. &, oportere, ad officiũ referas: neceſſe, ad uim. Legibus.) quarum auctoritate docemur domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, &c. Cic. lib. 1. de Orat. Iudic.) quæ ex legibus conſtituuntur. Primum enim iudex animaduertat neceſſe eſt, qua lege reus citetur, quæ res in quæſtione uerſetur, quo iure, quáque lege nitatur. Orat. pro A. Cluent. Vi.) qua nihil tam inimicum iuri. Orat. pro Cæcin. & 3. de legib. Nihil eſt exitioſius ciuitatibus, nihil tam contrarium iuri & legibus, nihil minus ciuile, &c. Reſiſtere.) uerum illud eſt Menandri.

οὐ παντελῶς δεῖ τοῖς πονηροῖς ὑποτρέπειν,
ἀλλ' ἀντιτάττεσθ'· εἰ δὲ μή, τ' ἄνω κάτω
ἡμῶν ὁ βίος λήσει μεταστραφεὶς ὅλος. *hoc eſt,*

Improbis minimè cedendum, at certè fortiter reſiſtendum, alioquin ſurſum deorſum tota hæc uita noſtra inopinato peruertetur. Sentire.) ea mẽte eſſe, eo conſilio. Fortitudinis.) cuius munera duo maxima ſunt, mortis, doloriſque contemptio. 2. quæſt. Tuſcul. Sentire & facere.) factis & conſilio Reip. prodeſſe, atque illud eſt hominis uerè Politici, quem non decet in ſola cogitatione conſeneſcere: utrũque in Leonida & Braſida ducibus Lacedæmoniis laudatur à Diodoro Siculo. Exiſtimari.) hoc eſt, pluris facit hominum de ſe tacitam exiſtimationem & opinionem, quàm eximiam cuiuſquam prædicationem. Libenter præſenti impert.) libẽter eum in os laudem.

* *Adiit igitur* T. *Annius ad cauſam* Reip. *ſicut ciuem patriæ*

triæ recuperare uelle te Reip. *tum ſimplex cauſa, conſtans ratio, plena conſenſionis omnium, plena concordiæ.* Collegas *adiutores habebat. Conſulis alterius ſummum ſtudiũ, alterius animus penè placatus. De prætoribus unus alienus,* Senatus *incredibilis uoluntas,* Equitum Rom. *animi ad cauſam excitati, erecta* Italia, *duo ſoli erant empti ad impediendum: qui ſi homines deſpecti & contempti tantã rem ſuſtinere non potuiſſent, ſe cauſam quam ſuſceperat, nullo labore peracturum uidebat: agebat auctoritate, agebat conſilio, agebat per ſummum ordinem, agebat exemplo bonorum & fortium ciuium: quid* Republica, *quid ſe dignum eſſet, quis ipſe eſſet, quid ſperare, quid maioribus ſuis reddere deberet, diligẽtiſſimè cogitabat.* Huic *grauitati hominis, uidebat ille gladiator ſe, ſi moribus ageret, parem eſſe non poſſe, ad ferrum, ad faces, ad quotidianã cædem, incendia, rapinas, ſe cum exercitu ſuo contulit. domũ oppugnare, itineribus occurrere, ui laceſſere & terrere cœpit.* Non *mouit hominẽ ſumma grauitate, ſummáque conſtantia, ſed quãquam dolor animi, innata libertas, prõpta excellénſque uirtus fortiſſimum uirũ hortabãtur, ui uim oblatã, præſertim ſæpius, ut frangeret & refutaret: tanta moderatio fuit hominis, tantum conſiliũ, ut contineret dolorem, neq; eadem ſe re ulciſceretur, qua eſſet laceſſitus: ſed illum tot iam in funeribus* Reip. *exultãtem ac tripudiantẽ legũ, ſi poſſet, laqueis conſtringeret. deſcẽdit ad accuſandũ: quis unquã tam propriè?* Reip. *cauſa, nullis inimicitiis, nullis præmiis, nulla hominum poſtulatione, aut etiã opinione id unquã eſſe facturũ: fracti erãt animi hominis. hoc enim accuſante, priſtini illius ſui iudicij turpitudinẽ deſperabat.*

Sicut ciuem patriæ recuperare.) Hic fateamur neceſſe quidpiam deeſſe, niſi ita legamus, Sic ut ciuem patriæ recuperare uellet ereptũ, ſimplex cauſa, &c. ut intelligatur, fuit, uel erat. Docti iudicēt. Simplici & aperto, callidus, fallax, eruditus artificio ſimulationis, opponitur. Cic. in Læl. Simplicem præterea & cõmunem, & conſentientem amicum eligi par eſt. Conſtans ratio.) meæ cauſæ ſuſpiciẽdæ, tuendæque, ut ab ea nullo periculo, aut minis abduci poſſet. Orat. poſt red. in Sen. Totus Milonis Tribunatus, nihil aliud fuit. &c. Conſenſionis omnium.) quàm omnes cõprobabant, ſæpe diximus. Concordiæ.) cùm boni omnes in confectione mei reditus conſentirent.

Collegas.) octo Tribunos pleb. & ſeptem prætores. Orat. pro Mil. Conſulis alterius.) P. Lentuli Clodio inimici, & reſtitutoris meæ ſalutis. ead. Orat. Alterius.) Q. Metelli Nepotis. Vnus.) Appius Clodius P. Clodij frater. Italia.) quæ uelut ſigno dato ad me reſtituendum concurrerat, & ad me reuocandum conuolarat. Orat. pro dom. Soli empti.) Q. Numerius, & Sext. Attilius Calatinus, ne de Ciceronis cauſa ageretur, & eius reditu tractaretur. Orat. in L. Piſ. Peracturum.) confecturum. Summum ordinem.) Senatorium. Reſp.) nempe ut ea libera eſſet, & uacua Clodiano latrocinio. Hæ ſunt boni ciuis honeſtiſſimæ cogitationes, in quibus uelim noſtros magiſtratus ſummè exerceri. Hominis.) Milonis, præter quẽ nemo poterat ſceleratis cogitationibus, & furoribus Clodij obſiſtere. Orat. pro Mil. &, Gladiatorem, Clodium accipe. Moribus.) uetere inſtituto, legibúſque iudiciorum: mores & inſtituta δικαίου τοῦ ἀγράφου, leges τοῦ ἐγγράφου. Itineribus occurrere.) obuiam ſe Miloni ferre. Vi laceſſere.) prouocare. In ui inferẽda perpetuo quædam Clodij conſuetudo fuit, ut Milonis tantum in repellenda. Orat. pro Mil. al. terrere cœpit. Innata libertas.) inſita, ingenita. Vi uim oblatam frangeret.) ut cum ipſa iudicia ac leges uis Clodianæ impediret tolleretque, audacia uirtute, furor fortitudine, temeritas conſilio, manus manu, uis ui ſuperanda uideretur. Orat. poſt red. in Sen. Refutaret.) propulſaret: neq; enim ſolùm uerbis refutamus, ut cùm obiecta diluimus, ſed etiã factis, ut cùm uim ui repellimus. Cic. Orat. pro leg. Man. Semper illas gentes noſtri imperatores refutandas potius, quàm bello laceſſendas putauerunt. Moderatio.) animi æquitas.

æquitas. Eadem re.) ui, quod lege naturæ conceditur. Orat. pro Mil. Laceſſitus.) morte etiam à Clodio Miloni ſæpe denuntiata.. ead.Orat. Tripudiantem.) geſtientem, triumphantem: unde dictum tripudium docet Cic.lib.1.de Diuinat.eo,ut cãtu,ululatu, horrendo armorum crepitu,ueteres Galli in ipſo certamine utebantur.: Liu.lib.8.Decad.4. Laqueis conſtringeret.) implicaret, accuſaret:quos quantum poterat,Clodius declinabat.Orat.pro Mil. & Orat.de Aruſp.reſpon.Sed ſi etiam nunc illaqueatus iam omnium legum,&c. Deſcendit.) puto,quia forũ Rom.in humili ac depreſſo loco eſſet, Milo Clodium de ui lege Plautia reum fecit. Orat.pro Mil.Primum itaque legibus ac iudicijs,non ui,aut manu Clodij furorem Milo coercuit. Propriè. uerè,atque ita bene expreſſo crimine. Nullis inimicitijs.) odium Clodij in Milonem acerbiſſimum fuit,in illum Milonis nullum.ead.Orat. Opinione.) cùm nemo opinaretur futurum,ut Milo Clodium de ui poſtularet,ſublatis iudicijs, fracta ac ſollicita ciuitate,bonis omnibus oppreſſis. Fracti.) iacebant Clodij ſpiritus, audacia,nimiáque confidentia. Priſtini.)de pollutis cæremonijs Bonæ deæ,nefario Clodij adulterio in puluinaribus ſanctiſſimis deprehenſo.Orat.pro Mil.hoc iudicio liberatus eſt Clodius: cauſa uerò abſolutionis,egeſtas iudicum fuit & turpitudo. epiſtol. Quæris ex me.lib.1.Epiſt.ad Att. Hoc in iudicio Cicero in Clodium teſtimonium dixerat:hinc inimicitiæ.Plutarch.in Cicer.

Ecce tibi Cõſul,Pr.Trib.pleb.noua noui generis edicta proponunt. Ne reus adſit,ne citetur,ne quæratur,ne mentionem omnino cuiquam iudicum aut iudiciorum facere liceat. Quid ageret uir ad uirtutem, dignitatem, gloriam natus,ui ſceleratorum hominum corroborata,legibus, iudiciiſque ſublatis? ceruices Tribunus plebis priuato, præſtantiſſimus uir profligatiſſimo homini daret? cauſam ſuſceptã affligeret? an ſe domi contineret? & uinci turpe putauit,& deterreri:etiam eripi reiecit: ut quoniam ſibi in illum legibus uti non liceret,illius uim, neque in ſuo, neq;

in Reip. *periculo pertimeſceret. Quomodo igitur in hoc genere præſidij comparati accuſas* Sextiũ, *cùm idem laudes* Milonem? *an qui ſua tecta defendit, qui ab aris, focis ferrũ flammámque depellit: qui ſibi licere uult tutò eſſe in foro, in templo, in curia: qui uitæ præſidium comparat: qui uulneribus, quæ cernit quotidie toto corpore, mouetur ut aliquo præſidio caput, & ceruices, & iugulũ, ac latera tuetur hunc de ui accuſandum putas?*

Tibi.) Stomachantis eſt, non perſonam iudicantis. Conſul.) Q. Metellus Nepos, qui Clodiam Quadrantem Clodij ſororem in uxorẽ duxerat. Orat. pro M. Cœl. Prætor.) Appius Clodius. Tribunus pleb.) Q. Numerius à Clodio emptus. Edicta proponũt.) quibus Clodius iudicio de ui liberetur: & proponere, eſt publico loco affigere. Vnde in codice Iuſtiniani leges plurimas uidemus dici propoſitas: hoc enim notare duo P P. cum meo Goueano facile exiſtimarim. Suetonius in Calig. Edicta & literis minutiſſimis, & locis anguſtiſſimis propoſuit. Reus adſit.) iudicio ſe ſiſtat. Quæratur.) elogium publicum conficiatur, iudicium exerceatur, quæſtio inſtituatur: uulgò dicimus, informatio fiat. Profligatiſſimo daret.) Victus ſolatio eſſe ſolet, uirtute præſtantis alicuius uiri, non imbellis aut pernitioſi ciuis dextera cadere, ut Lacon quidam uere dixerit non moueri, quod moreretur, ſed quod ab imbelli ſagittario percuſſus eſſet. Affligeret.) an cauſam ſuſceptam, &c. affligeret, hoc eſt, deſereret, proderet: Cauſam publicam affligit, qui Remp. cùm poteſt, non defendit.

Etiam eripi.) omnes codices qui hunc locũ ſtellatum habent, falſi ſunt & mendoſi: neque enim aliquid deeſt, at uerus ac integer is eſt ſenſus. Ita ſe parauit Milo, ut Clodium non timeret, nec ſibi per uim & furorem illius, cauſam Reip. eripi pateretur. Pertimeſceret.) parato præſidio aduerſus Clodianam uim. Cic. Orat. pro Mil. Quid ſimile Milonis? cuius uis omnis hæc ſemper fuit, ne P. Clodius cùm in iudicium detrahi non poſſet, ui oppreſſam ciuitatem teneret. Mouetur.) In pleriſque codic. legas, monetur. Caput, & ceruices.) eas

corporis

corporis partes diſertè exprimit,quibus maxime uita continetur, & quæ uulneribus affectæ diuturniorem uitam eſſe non ſinunt.

Quis enim ueſtrum Iud.*ignorat, ita naturam rerum tuliſſe,ut quodam tempore homines,nondum neque naturali,neq; ciuili iure deſcripto,fuſi per agros ac diſperſi uagarentur,tantúmque haberent,quãtum manu ac uiribus per cædem ac uulnera,aut eripere, aut retinere potuiſſent? Qui igitur primi uirtute,& conſilio præſtanti extiterũt, ij perſpecto genere humanæ docilitatis atque ingenij, diſsipatos unum in locum congregarunt:eóſque ex feritate illa ad iuſtitiam atque manſuetudinem traduxerunt: tum res communem utilitatem continentes, quas publicas appellamus: tum conuenticula hominum, quæ poſtea ciuitates nominauerunt: tum domicilia coniuncta, quas urbes dicimus,inuento & diuino, & humano iure, mœnibus ſepſerunt. Atque inter hanc uitam perpolitam humanitate, & illam immanem, nihil tam intereſt, quàm ius atque uis:horum utro uti nolimus,altero eſt utendum. uim uolumus extingui? ius ualeat neceſſe eſt,id eſt iudicia, quibus omne ius cõtinetur:iudicia diſplicent,aut nulla ſunt? uis dominetur neceſſe eſt.* Hæc uident omnes: *Milo & uidit,& fecit:ut ius experiretur, uim depelleret. altero uti uoluit,ut uirtus audaciam uinceret:altero uſus neceſſariò eſt,ne uirtus ab audacia uinceretur.* Eadémque ratio fuit P.Sextij,*ſi minus in accuſando (neque enim per omnes fuit idẽ neceſſe fieri) at certè in neceſsitate defendendæ ſalutis ſuæ,præſidióque contra uim & manũ cõparando.*

Quis enim.) Superioris argumentationis probationẽ ducit ex fontibus naturæ,quæ præſcribit,ut ſi iure ac legibus agere, aut tueri te

non poſsis manū manu,uim ui depellas. Hic locus fuſiſsime tractatur à Cic.lib.1.de Inuent.Eſt enim duplex genus concertationis: unū per legitimam diſceptationem,alterum per uim: poſterius adhibendum eſt,ſi priore uti non liceat. Rerum naturâ.) ſiue quem Deum Cic.in Cat.Maio. Naturali.) ſiue gentium,quo naturaliter omnes homines rationis participes utuntur.Súntque illæ communes de moribus notitiæ omnium animis diuinitus impreſſæ,quibus mēs humana iudicat de bono & æquo,de ciuili honeſtate,& formandis moribus.Cic.in Lucul.appellat κοινὰς ἐννοίας καὶ προλήψεις,hoc eſt,anteceptas animo rerum, quaſi quaſdam informationes, quod animus per ſe res intelligat,antequam doceatur. Ciuili.) Legitimum dicit Ariſt.lib.5.Ethic.alij poſitiuum:aliud nihil eſt,quàm ſententia magiſtratus,quæ cum ipſo iure naturæ congruēs,& ipſius naturalis Iuris præcepta,ueluti exerēs rerum circunſtantias, aut ſpecies explicat, accommodátque communes huiuſmodi Theſes ad Hypotheſes:puta, Sancit lex diuina in genere dominiorū diſtinctionem,cùm ait,Non furaberis.Quæ ſunt partes magiſtratus? modos addit,ac certas quaſdā rationes præſcribit.quibus res cuiuſque propria fiat,edit cōtractuum formas,quis legitimus,quis illegitimus ſit contractus,cenſet,&c.

Fuſi per agros.) ut Getæ.Volaterr. Getuli. Saluſt.in Iugur. & Gamphaſantes.Mel.lib.1.de Sit.orb. Extiterunt.) ut Zamolſis, qui Getas humaniorem cultum edocuit,& Cecrops,Athenienſes.

Ingenij.) quod eſt naturæ,ut ſtudia operæ noſtræ ac diligentiæ:ex ingenio & ſtudiis mores. Communem utilitatem.) uniuerſorum, ita tamen ut ſingulorum res minimè negligantur. Ipſa autem Reſp. tota eſt in diuiſione rerum,æqualitate commerciorum,ordine magiſtratuum,deſcriptione legum,officiorū,populi,contractuum & pœnarum:ut facilè quis colligat ex 3.& 4.lib.πολιτ. Ariſt. Cōuenticula.) concilia,cœtus. Ciuitates nominauerunt.) cœtus hominū iure ſociatos . eſt ergo ciuitas in hominibus ipſis, urbs in domiciliis. Atque huius ſocietatis ciuilis initium,coniunctionem maris & fœminæ facit.Ariſt.lib.1.πολιτ.inde tanquam coloniam ex familiis, ciuitatem deducit. Vrbes dicimus.) ædium ipſarum, atque adeò domiciliorum coadunationes. Diuino.) anteà naturale dixit : ut enim mens humana uere Dei donum eſt,ita certè hoc rationis lumen

nobiſcum

nobiſcum naſcẽs,quo diſcrimen honeſtorum ac turpium tenemus.D. Paul.ad Rom.cap.2. ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα,*&c. Humano.) Ciuili,poſitiuo. Ius ualeat.) ſine quo ciuitas eſſe nõ poteſt, ut nec corpora noſtra ſine mente.Orat.pro A.Cluent. Ius ualeat, id eſt,iudicia.) Quod Græcè eſt* δίκη,*id Latinè modò ius,modò iudicium ſonat.Cic.Ius,inquit,atque iudicium eſt,diiudicatio iuſti.Cæterum Ariſt.lib.1.*πολιτ.*cap.2. Ius appellat ordinem ciuilis communitatis,quòd id iure fieri dicatur,quod fit conuenienter ordini, & inſtitutioni ſocietatis ciuilis.Idem omnino Cic.lib.2.Offic. Vis dominetur.) præclare Cic.3.de leg.Nihil eſt exitioſius ciuitatibus, nihil tam contrarium iuri,&c. Ius experiretur.) iure decertaret: eſt enim conſiderati hominis iure decertare,armis non contẽdere. Orat. pro Cæcin. Altero uti uoluit.)ut iudicio aduerſus Clodiũ certaret.*

Altero uſus.) præſidium & manum comparauit. In accuſando.) ut qui Clodiũ non accuſarit,ſicuti Milo. Contra manum.) copias Clodianas,quas dicit fuiſſe Catilinæ.Orat.pro dom.Illos tamẽ cupidos liminum meorũ,&c.Perturbata eſt hoc loco apud Ald.litera.

O *dij immortales,quemnam oſtenditis exitum nobis? quam ſpem* Reip.*datis? quotus quiſque inuenietur tanta uirtute uir,qui optimam quãque cauſam* Reip.*amplectatur? qui bonis uiris deſeruiat? qui ſolidam laudem,uerámque quærat?* Cùm *ſciat illa duo* Reip.*penè fata, Gabiniũ &* Piſonem,*alterum haurire quotidie ex pacatiſſimis atque opulentiſſimis* Syriæ *gazis innũmerabile pondus auri,bellum inferre quieſcentibus,ut eorum ueteres illibatáſque diuitias in profundiſſimum libidinum ſuarum gurgitem profundat: uillam ædificare in oculis omnium tantã, tugurium,ut iam uideatur eſſe illa uilla,quam ipſe* Tribu*nus pleb.pictam olim in concionibus explicabat, quò fortiſſimum ac ſummum ciuem in inuidiam homo caſtus, ac non cupidus uocaret*. Alterum Thracibus *ac* Dardanis

primum pacem maxima pecunia uendidiſſe: deinde ut illi pecuniam conficere poſſent, uexandam his Macedoniam & ſpoliandam tradidiſſe, eundémque bona creditorum ciuium Romanorũ cum debitoribus Græcis diuiſiſſe, agere pecunias maximas à Dyrrachinis, ſpoliare Theſſalos, certam Achæis in annos ſingulos pecuniam imperauiſſe: neq; tamen ullo in publico aut religioſo loco ſignum, aut tabulam, aut ornamentum reliquiſſe? Hos ſic illudere, quibus omne ſupplicium atque omnis iure optimo pœna debetur? reos eſſe hos duos quos uidetis? Omitto iam Numerium, Serranum, Aelium, quiſquilias ſeditionis Clodianæ. ſed tamen hi quoque etiam nunc uolitant, ut uidetis: necdum uos de uobis aliquid timetis, illi unquã de ſe pertimeſcunt.

O dij.) ob tantam fortium bonorúmque ciuium calamitatem, cõtráque ob ſecundam florentémque improborum fortunam ex affectu ac indignitate in exclamationem prorumpit, confertque Sextij & Milonis ſtatum cum aduerſariorũ inſolentia. Quænam oſtenditis.) quis horum temporum ac improborum ciuium finis tandem eſt futurus?. Bonis deſeruiat.) bonorum ſtudio ac uoluntati ſeſe addicat?

Solidam laudem.) non popularem. Cic. 3. quæſt. Tuſcul. Eſt enim gloria, ſolida quædam res & expreſſa, non adumbrata. Duo fata.) illas duas Reip. peſtes fatales, duo portenta ac Reip. funera. Orat. de prouinc. Coſſ. Gallic. quelz deſtins. Gazis.) opibus. Gazam, Perſicam uocem eſſe, ſignificaréq; omne id quod in bonis habemus, ſcribit Seruius lib. 1. Aeneid.

Arma uirûm, tabulæque & Troia gaza per undas.

& Cic. Orat. pro leg. Man. Quare ſi quem habetis, qui ab auro gazáque regia manus, oculos, animum cohibere poſſit. Quieſcentibus.) Quieſcit qui de bello inferendo non cogitat. Illibatas.) intactas, & integras. Profundiſſimũ libidinum gurgitẽ.) in altiſſimã, inexplebilémque ſui luxus uoraginẽ infundat. Ducta metaphora à gurgite aquarum naues abſorbẽte. Villam.) Tuſculanam magni-

ficentiſſimè

ficentiſſimè extructam. Pictam.) Gabinius Tribunus pleb. Pōpeio ſtudens operam dederat, ut reuocato ex Aſia Lucullo extraordinariè mitteretur Pompeius, qui bellum Mithridaticum conficeret, Atque ut Lucullo Gabinius maiorem inuidiam conflaret, quaſi ex gaza Mithridatis nihil in ærariū Lucullus retuliſſet, formam uillæ Tuſculanæ à Lucullo magnificētiſſimè extructæ in concione ipſa oſtentabat. Plutarch. in Lucul. Illa uilla.) Tuſculana Luculli uilla.

Fortiſſimum ciuem.) L. Lucullum, cui tantum laudis impertiendum eſſe dicit Cic. Orat. pro Leg. Man. quantū uiro forti, & ſapientiſſimo homini, & magno imperatori debetur. Caſtus.) ſine ulla libidinis ac turpitudinis nota. Non. Hoc autem εἰρωνικῶς *dixit, ut & Orat. pro dom. Clodium, caſtum ſacerdotem appellat. Alterū.) L. Piſonem, qui exercitū Rom. perdidit, Orat. pro Cn. Plan. ſuperbiſſimo delectu collectum. Orat. de prouinc. Coſſ. Thracibus.) Macedoniæ adiacēt: gens ferociſſima eſt, teſte Liu. lib. 6. Decad. 4. & lib. 2. Decad. 5. Sed & latrunculos eoſdē dicit lib. 8. Decad. 4. At mehercule nos iidem, admonente fortuna, &c. Dardanos, Thracum accolarum ac Scordiſcorū auxiliis ſubnixos auſos ſemper aliquid fuiſſe teſtatur Liu. lib. 1. Decad. 5. Dardani urbis Aſiæ meminit idē Liu. lib. 7. Decad. 4. & Strabo lib. 13. Pacem uendidiſſe.) hunc locum præclare explicat Cic. Orat. de prouinc. Coſſ. An uerò in Syria diutius eſt Semiramis illa retinēda, &c. quo loco miror noſtrum Syluiū & Tiſſinum Ciceronis interpretes, pro retinenda, rotunda legiſſe.*

Pecuniam conficere.) quam erant polliciti, præſtarent. Non. interpretatur pecuniam conficere, colligere & præſtare: eſt & cōficere, explicare lib. 2. Offic. honeſtatis pars confecta eſt, quam tibi cupio eſſe potiſſimam. Spoliandam tradidiſſe.) cum inſtructo exercitu dexteram tendens non ad laudē milites hortaretur, ſed omnia ſibi & empta, & emenda eſſe clamaret. Orat. de prouinc. Coſſ. Cum debitoribus Græcis.) quòd remiſſo prouinciali fœnore Piſo cum debitoribus in partē lucri ueniret, atque ita creditores Rom. debito & lucro fraudaret. Agere.) al. cogere, exigere, & conflare. Dyrrachinis.) quippe uectigal ac Dyrrachinorum portoriū totum in ſuū quæſtum conuerterat. Orat. de prouinc. Coſſ. Theſſalos.) Theſſalonicenſes in gremio imperij noſtri poſitos. ead. Orat. Achæis.)

ead.Orat.Cùm interea quis ueſtrum non audiuit, &c. Pecuniam imperauiſſe.) certum uectigal impoſuiſſe. Neque ſignum aut tabulam.) ead.Orat.Quod fanum eſt in Achaia,qui locus aut lucus in Græcia tota,&c. Supplicium debetur.) qui ſint omni cruciatu excarnificandi. Hos duos.) Sextium & Milonem. Numerium.) Q.Numerium. Serranũ.) Sex. Attilium Serranum. Aeliũ.) C.Aelium,Stalenum Ligurem.mẽdoſè in codice Germanico legas, Lælium, ut & prima Acad. pro L. Aelio Stilone, L.Lælium.

Quiſquilias.) ſordes,fæces, nullius precij homines. Volitant.) ſuas uires ac potentiam iactant,bonos terrent,iiſdémque impune periculum moliuntur. Pertimeſcunt.) al.pertimeſcent,nullas illi pœnas reformidant,omnem impunitatem ſibi pollicentur. Eadem querela uſus eſt initio orationis.

Nam quid ego de Aedili *ipſo loquar, qui etiã diem dixit, & accuſauit de ui* Milonẽ? *Neque hic tamen ulla unquam iniuria adducetur, ut eum tali uirtute, tantáq; firmitate animi ſe in* Remp.*fuiſſe pœniteat.Sed qui hæc uident,adoleſcentes,quonam ſuas mentes conferent? ille qui monimenta publica, qui ædes ſacras, qui domos inimicorum ſuorum, oppugnauit, excidit, incendit: qui ſtipatus ſemper ſicariis,ſeptus armatis,munitus indicibus fuit, quorum hodie copia redundat,qui & peregrinam manum facinoroſorum cõcitauit,& ſeruos ad cædem idoneos emit, & in* Tribunatu *carcerem totum in forum effudit: uolitat* Aedilis,*accuſat eum qui aliqua ex parte eius furorem exultantem repreßit.* Hic *qui ſe eſt tutatus ſic,ut in priuata re deos* Penates *ſuos, in* Rep.*iura* Tribunatus,*auſpiciáque defenderet,accuſare eum moderatè, à quo ipſe nefariè accuſatur,per* Senatus *auctoritatem non eſt ſitus.* Nimi*rum hoc illud eſt,quod de me potißimum,tu in accuſatione quæſiſti,quæ eſſet noſtra natio optimatum: ſic enim dixiſti.*

*ſti.*Rem *quæris præclaram iuuentuti ad diſcendum, nec mihi difficilem ad perdocẽdum. de qua pauca* Iud. *dicã: & ut arbitror, nec ab utilitate eorũ qui audiẽt, nec ab officio noſtro, nec ab ipſa cauſa* P. Sextij *abhorrebit oratio mea.*

Nam quid de Aedili.) de P. Clodio, qui poſt Tribunatum anno interpoſito, quo Tribunus fuit Sextius, Aedilis fuit. De Clodij Aedilitate ſic Cic. ad Att. epiſt. 1. lib. 2. fregi hominem & inconſtãtiam reprehendi, qui Romæ Tribunatũ pleb. peteret, cùm in Sicilia Aedilitatem ſæpe dictitaſſet. In pleriſque codicibus legitur, ſæpe hæreditaſſet, ut fortaſſe legendum ſit, ſe petere dictitaſſet. Totus hic locus prætermiſſus in Cod. Aldino. Pœniteat.) Cic. Orat. pro Mil. Populi grati eſt, præmiis afficere bene meritos de Rep. ciues: uiri fortis, ne ſuppliciis quidem commoueri, ut fortiter feciſſe pœniteat. Quonam conferent.) quos ſequentur in Rep. bonós ne an nefarios ciues, quos florere uident? Monimenta.) ut Albanos tumulos atque lucos. Orat. pro Mil. Aedes ſacras.) ut Aedem Nympharũ. ead. Orat.

Inimicorum ſuorum.) meam & Milonis, diximus anteà. Stipatus.) cinctus. Stipantur propriè naues, quarum rimæ ſtupa occluduntur, ne aquam tranſmittant. Septus.) munitus, & armatis illis, quaſi quodam ſepimento uallatus. Cic. 2. Philipp. præſidium charitate & beneuolentia ciuium ſeptum oportet eſſe, non armis.

Indicibus.) quibuſdam ueluti exploratoribus & emiſſariis, quibus utebatur ad iniquas delationes, & calumnias inferẽdas. Probroſum fuit nomen indicis, atque is eſt, inquit Aſcon. qui facinoris, cuius ipſe eſt conſcius, latebras indicat impunitate propoſita. Indicium, accuſatio ipſa & criminis delatio. Terent. in Heaut.

Celem tam inſperatum gaudium,
Cum illi nihil periculi ex indicio ſiet?

& indicium profiteri, noſtris Iureconſ. eſt ſponte criminis ſocios deferre. Suſpicatus ſum aliquando in L. 1. & L. Qui duobus. lib. 48. D. ad leg. Cornel. de Falſ. pro iudicẽ corrumpere, indicẽ legendũ eſſe. Satís ne hæc probabilis cõiectura uideatur, uelim iudices: huius enim ſtudij ac diſciplinæ tua poſſeſſio eſt. Carcerem.) uinctos & ſontes. Metonymia. Deos Penates.) ſuas ædes, larem familiarem: & Pa-

trij dij, Penates dicuntur. Virgil.1. Aeneidos:

Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoſte Penates
Claſſe ueho mecum, &c.

Defenderet.) ut interceßio Tribunorum pleb. & obnuntiatio in Rep. maneret, nec legibus Clodianis tolleretur. *Eum.) Clodium.* *Situs.) permiſſus. Participium parum uſitatum, à Sino.* *Natio optimatium.) quinam uerè & propriè eſſent optimates.* *Dixiſti.) ita in oratione poſuiſti, & nationem optimatium inuidioſè illuſoriéque, non optimates, dixiſti.*

Duo genera ſemper in hac ciuitate fuerunt eorum, qui uerſari in Rep. *atq; in ea ſe excellentius gerere ſtuduerũt: quibus ex generibus alteri ſe populares, alteri optimates, & haberi, & eſſe uoluerunt. Qui ea quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini iucunda eſſe uolebant, populares: qui autẽ ita ſe gerebant, ut ſua conſilia optimo cuique probarent, optimates habebãtur. Quis ergo optimus iſte? quis? de numero ſi quæris, innumerabiles: neque enim aliter ſtare poſſemus. Sunt principes conſilij publici, ſunt qui eorum ſectam ſequuntur, ſunt maximorum ordinum homines, quibus patet Curia, ſunt municipales ruſticiq;* Ro*mani, ſunt negotia gerentes, ſunt etiam libertini optimates: numerus, ut dixi, huius generis latè & uariè diffuſus eſt. Sed genus uniuerſum (ut tollatur error) breui circunſcribi ac definiri poteſt: omnes optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, neque natura improbi, neque furioſi, neque malis domeſticis impediti. Eſto igitur, ut hi ſint, quam tu nationem appellaſti: qui & integri ſunt, & ſani, & bene de rebus domeſticis conſtituti: horum qui uoluntati, commodis, opinioni in gubernanda* Rep. *ſeruiunt, defenſores optimatium, ipſique optimates grauißimi & clarißimi*

ciues

ciues nominantur, & principes ciuitatis. Quid eſt igitur propoſitũ his Reip. gubernatoribus, quod intueri, & quò curſum ſuum dirigere debeant? id quod eſt præſtantiſſimum, maximéque optabile omnibus ſanis, & bonis, & beatis, cum dignitate otium. Hoc qui uolũt, omnes optimates: qui efficiunt, ſummi uiri, & conſeruatores ciuitatis putantur: neque enim rerum gerendarum dignitate homines efferri ita conuenit, ut otio non proſpiciant: neque ullum amplexari otium, quod abhorreat à dignitate.

Duo genera.) ſic locus communis, ad cauſam facere uidetur, Sextium in optimatibus fuiſſe, eoſdémque defendiſſe: eſtq; grauis reſpõſio ad inuidioſam Clodij de optimatium natione interrogationem.

Populares.) plauſibiles, populo Rom. chariſſimi, & iucundiſſimi homines. φιλόδημοι καὶ δημοτικοὶ *dicũtur ab Ariſtotele & Platone in Ciuili, & 3.* πολιτ. *Sed & qui eiuſdẽ cõditionis ſunt & nationis, populares dicuntur. Plaut. in Pœnul. Si frugi eſſe uis, eas iam liberati, &c. Optimates.)* οἱ πολιτικοὶ, οἱ καλοὶ κἀγαθοὶ, οἱ πρωτεύοντες ἄνδρες. *Ciceroni optimates, Senatores ſunt, quique eius ſectã & animum ſequuntur in defendenda Rep. 3. de legib. Carbonis eſt tertia de iubendis, &c. & paulò pòſt, optimã Remp. eſſe dico, quam hic Coſ. conſtituerat, quæ ſit in poteſtate optimorũ, id eſt Senatus, interprete V. C. Adriano Turnebo. Principes cõſilij publici.) Senatores ipſi: ita enim & Senatum deſcribit Cicero Interrogat. Vat. Ne hæc quidem Senatui relinquebas, &c. & Senatus princeps ſalutis, mentiſq; publicæ dicitur, Orat. de Aruſp. reſpon. Sectam dicimus uiam quandam & rationem, quam ſequimur. Accõmodatur philoſophorũ diſciplinis. Maximorum ordinum.) Conſulares homines, Prætorij, Aedilitij. Patet curia.) qui ius habent dicendæ ſententiæ in Senatu. Ruſticique Romani.) Optimi quique & locupletiſſimi in tribus Ruſticas diſtributi erãt, ex lege Sempronia: urbis colluuio atq; infima plebs in 4. urbanas tribus confluxerat. Negotia gerentes.) negotiatores. Interrog. Vat. cúmque omniũ domos hominéſque negotia gerentes, &c. qui ſtrenuè negotiando rem Romanam augent,*

hi quoque ſunt optimates. Libertini.) quos Tiberius Gracchus pater Cenſor in urbanas tribus tranſtulit. Omnes optimates ſunt.) Optimates, anteà ab adminiſtratione & procuratione Reip. definiuit, nunc à moribus definit. Malis domeſticis.) quibus bene conſtituta ſit res familiaris. Sani.) tẽperati & conſtãtes homines dolore ac ægritudine animi uacui. Cæterum Plato 4. de Rep. uirtutem, ſanitatem mentis ac pulchritudinem dicit, prauitatem contrà, morbum, turpitudinem, & imbecillitatem. Voluntati, commodis, opinioni.) id eſt, qui in Rep. adminiſtranda ſeſe compararũt, ad uoluntatem, cõmodum, opinionémque, ac exiſtimationem bonorum tuendam ſuſtinendámque. Curſum dirigere.) quò debent eniti, & omnia ſua cõſilia & facta referre: à nauigantibus ductum. Et, bonos, ad mores, beatos ad famam, fortunas, cæteráſque corporis dotes referendum.

Dignitate otium.) ſic Cic. lib. 1. de Orat. ad Q. frat. perbeatos eos eſſe dicit, qui in otio cum dignitate, & præclara hominum de ſe exiſtimatione floruerunt. Neque uerò hoc loco ignauum aliquod aut illiberale otium intelligas: de quo illud Heſiodi, ἔργα καὶ ἡμέραι· τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἀνέρες ὅςις ἀεργὸς ζώῃ, *&c. item Plato 3. de legib. Efferri.) erigi, ita ad res gerendas excitari. Otio non proſpiciant.) Cic. Orat. pro Cn. Plan. Etenim M. Catonis illud, quod in principio ſcripſit originũ ſuarum, ſemper magnificum & præclarum putaui, clarorum uirorum atque magnorum non minus otij, quàm negotij rationem extare oportere.*

Huius autem otioſæ dignitatis hæc fundamenta ſunt, hæc membra, quæ tuenda principibus, & uel capitis periculo defendenda ſunt, religiones, auſpicia, poteſtates magiſtratuum, Senatus auctoritas, leges, mos maiorum, iudicia, iuriſdictio, fides, prouinciæ, ſocij, imperij laus, res militaris, ærarium: harum rerum tot atque tantarum eſſe defenſorem & patronum, magni animi eſt, magni ingenij, magnæque conſtantiæ. Etenim in tanto ciuiũ numero magna multitudo eſt eorum, qui aut propter metum pœnæ,

peccatorum

peccatorum ſuorum conſcij, nouos motus, conuerſionéſque R. P. *quærant: aut qui propter inſitum quendam animi furorem, diſcordiis ciuium ac ſeditione paſcantur: aut qui propter implicationem rei familiaris cõmuni incendio malint, quàm ſuo deflagrare. qui cum auctores ſunt, & duces ſuorum ſtudiorum uitiorúmque nacti, in* Rep. *fluctus excitantur: ut uigilandum ſit iis, qui ſibi gubernacula patriæ depopoſcerunt, enitendúmq; omni ſcientia ac diligentia, ut conſeruatis his quæ ego paulò ante fundamenta ac membra eſſe dixi, tenere curſum poßint, & capere otij illum portum & dignitatis.* Hanc ego *uiam* Iud. *ſi aut aſperam atque arduam, aut plenam eſſe periculorum, aut inſidiarum negem, mentiar: præſertim cùm id non modò intellexerim ſemper, ſed etiam præter cæteros ſenſerim.* Maioribus *præſidiis, & copiis oppugnatur* Reſp. *quam defenditur: propterea quòd audaces homines & perditi, nutu impelluntur, & ipſi etiam ſponte ſua contra* Remp. *incitantur: boni, neſcio quomodo, tardiores ſunt, & principiis rerum neglectis, ad extremum ipſa denique neceßitate excitantur: ita ut nonnunquam cunctatione ac tarditate, dum otium uolunt etiam ſine dignitate retinere, ipſi utrũque amittant.*

Otioſæ dignitatis.) otij cum dignitate, & bonorum omniũ exiſtimatione coniuncti. Religiones.) cæremoniæ, deorũ cultus. Val. Max. lib. I. cap. I. Poteſtates magiſtratuum.) ne iura magiſtratuũ imminuantur, ſed illis pareatur. Hæc ſunt uerba legis 12. Tab. Iuſta imperia ſunto, iiſque ciues modeſtè, ac ſine recuſatione parento. Leges.) in comitiis ſancitæ: & ſunt iuris ſcripti. Mos maiorum.) inſtituta, conſuetudines uſu probatæ, magiſque animis utentium, quàm tabulis inſcriptæ. Græci ut Latini appellant ἔθη. & Paulo Iureconſ.

mos,ius naturæ eſt,& conſuetudo Gentium.L.Libertinus ff.de ritu nupt. Iudicia.) Ariſtoteles lib.3.πολιτ.tres facit Reip.partes,imperium,iudicium,conſilium: ſecundum imperium ſumma poteſtas eſt iudiciorum. Sunt autem iudicia, legitimæ contentiones coram diſceptante magiſtratu. Iuriſdictio.) quam Accurſiani cùm definiũt,nihil adferunt.Sic ergo definiri poteſt non omnino malè, poteſtas publica ſtatuendi de ciuili,uel criminali negotio. Fides.)pecuniæ creditæ ſolutio:eſt enim fides(ait Cic.in Partit.)iuſtitia in rebus creditis:cui contraria eſt,debiti inficiatio atque abiuratio. Cic.lib.2. Offic.Nulla res uehementius Remp. continet, quàm fides, &c.

Prouinciæ.) ut bene abſtinentérque adminiſtrentur. Imperij laus,res militaris.) diſciplina militaris.Cic.Orat.pro Mur. Rei militaris uirtus præſtat cæteris uirtutibus:omnia noſtra ſtudia, & hæc forenſis laus & induſtria latent in tutela,ac præſidio bellicæ uirtutis, &c. Pœnæ.) ſupplicij, quod ante oculos uerſari putant, qui peccarunt.Tritum illud eſt,Oderũt peccare mali,&c. Conuerſionéſque.)cõmutationes,ne de eorum ſcelere queratur.Saluſt.in Catil. Semper in ciuitate,quibus opes nullæ ſunt,bonis inuident,malos extollũt, uetera odere, noua exoptant,odio ſuarũ rerum mutari omnia ſtudent.Hinc illud quod ſubiicit,propter implicationem rei familiaris. Idem omnino ſcribit Tull.2.Verr.Sũt homines quos libidinis, infamiæque ſuæ,neque tædeat, &c. Paſcantur.) delectantur, & quaſi ſaginantur,ac ut ait idem Saluſt.in Catil.turba atque ſeditionibus ſine cura aluntur. Implicationem rei familiaris.) penè cõfectam,oppreſſámque ære alienò rem familiarem.dixi ex Saluſt.

Studiorum.) cupiditatum,libidinum.ſic ſæpe apud Cic.in Catil.

Scientia.) qua leges ferat,improbos caſtiget, ſuũ cuique tribuat, &c.Diligentia,qua omnes ſeditionum uias intercludat,laboranti patriæ ſtatim adſit,&c. Conſeruatis iis.) religione,auſpiciis,&c.

Tenere curſum.) fœliciter nauigare,id eſt,Rep.regere,eiuſdémq; dignitatem ac ſalutem tueri. Nauis curſum tenet, quæ non aduerſa tempeſtate quatitur. Hanc ego.) optimatium conditio dura ac periculoſa eſt in Rep.addit huiuſce rei cauſas, & exempla uirorũ illuſtrium profert,qui hanc difficillimam uiam,rationémque Reip.gerẽdæ ſunt ingreſſi.Periculorum.) ut uerè dixerit Demoſthenes,duabus

uiis propoſitis, una quidẽ quæ duceret ὑπὲρ τὸ βῆμα, *hoc eſt, ad pulpitum oratorium ſeu magiſtratũ: altera uerò* εἰς ᾅδου, μᾶλλον ἂν ἑλέσθαι τὴν εἰς ᾅδου τὸν εὖ φρονοῦντα, *prudentem uirum eam quæ ad inferos ducit præoptaturum.* *Inſidiarum.) Cic. Orat. pro Cn. Plan. Vigilãdum eſt ſemper: multæ inſidiæ ſunt bonis. & Q. Cic. de petit. Conſulatus. Fraudis atque inſidiarum, &c.* *Senſerim.) meo ſummo periculo expertus fuerim, in extinguenda Catilinæ coniuratione.*

Nutu.) uel tenuiſſimo ſigno dato, aut quauis tenuiſſima ſignificatione, ubi auctorem nacti fuerint. *Principiis neglectis.) ex quibus maximæ temporum inclinationes fiunt. Philipp. 5.* *Amittãt.) improbis uolitantibus, & Remp. occupantibus. Ecquis optimatium dignitati relictus locus, in cõſceleratorum ciuium dominatu? ſed nec ulla quidem ſatis quieta ſedes.*

Propugnatores autem Reip. *qui eſſe uoluerũt, ſi leuiores ſunt, deſciſcunt: ſi timidiores, deſunt: permanent illi ſoli, atque omnia* Reip. *cauſa perferunt: qui ſunt tales, qualis pater tuus* M. *Scaure fuit, qui à* C. *Graccho uſque ad* C. *Marium ſeditioſis omnibus reſtitit: quẽ nulla unquam uis, nullæ minæ, nulla inuidia labefecit: aut qualis* Q. *Metellus patruus matris tuæ, qui cum florentem hominem in populari ratiõne* L. *Saturninum Cenſor notaſſet, cúmque inſitiuum Gracchum contra uim multitudinis incitatæ cenſu prohibuiſſet: cúmque in eam legem, quam non iure rogatam iudicarat, iurare unus noluiſſet, de ciuitate maluit, quàm de ſententia dimoueri: aut, ut uetera exempla, quorũ eſt copia digna huius imperij gloria, relinquã, néue eorum aliquem qui uiuunt, nominem: qualis nuper* Q. *Catulus fuit, quem neque periculi tempeſtas, neque honoris aura potuit unquam de ſuo curſu, aut ſpe, aut metu dimouere.* H*æc imitamini per deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriã quæritis.* H*æc ampla ſunt,*

hæc diuina, hæc immortalia, hæc ſama celebrantur, monimentis annalium mandantur, poſteritati propagantur: eſt labor, non nego: pericula magna, fateor: multæ inſidiæ ſunt bonis, ueriſſimè dictum eſt: ſed te id quod multi inuideant, multique expetant, inſcitia ſit, inquit, poſtulare. Si ui laborem ſumma cum cura efferas, nullũ. Idem alio loco *dixit, quod exciperẽt improbi ciues, Oderint, dũ metuant: præclara enim illa præcepta dederat iuuentuti: ſed tamen hæc uia, hæc ratio* Reip. *capeſſendæ olim erat magis pertimeſcenda cùm multis in rebus multitudinis ſtudium ad populi commodum ab utilitate* R. P. *diſcrepabat.*

Deſciſcunt.) deficiunt, ut leuiſſimi transfugæ ad hoſtes. Deſunt.) Non ſatis fortiter, ac ſtrenuè Remp. defendunt. Permanẽt.) in Reip. defenſione conſtantiſſimè perſeuerant. Illi ſoli.) optimates.

Pater tuus.) M. Scaurus, huius M. Aemylij Scauri, qui iudex in Sextij cauſa ſedebat, pater: quem principem Senatus dicit. Orat. pro C. Rab. perduell. C. Graccho.) Tribuno pleb. ſeditioſo. Val. Max. lib. 8. cap. 10. eloquenti tamen, ut dolendum ſit tãtam uim, ac grauitatem dicendi, tantáque eloquentiæ ornamenta ad meliorem mẽtem, uoluntatémque conuerſa non fuiſſe. Orat. de Aruſp. reſpon. Vſque ad Marc.) legendum eſt, uſque ad Q. Varium. à quo M. Scaurus pater, pro roſtris fuit accuſatus, quaſi à rege Mithridate ad Remp. prodendam pecuniam accepiſſet. Val. Max. lib. 3. cap. 8. Inuidia.) in Scaurum falſa illa Varij Sucronenſis accuſatione, conflata: neq; enim leue eſt, quem proditionis reum facere. Labefecit.) de ſententia ac inſtituto mouit. Q. Metellus.) Numidicus, de quo anteà: & Val. Max. lib. 3. cap. 8. Et popularis ratio, idẽ quod popularitas. L. Satur.) de quo Cic. Orat. de Aruſp. reſpon. Ipſe L. Saturninus ita fuit effrenatus, & penè demẽs, &c. Orat. 1. in Catil. & Orat. pro C. Rab. perduell. Notaſſet.) ignominia affeciſſet. hinc notatio cenſoria, de qua diximus. Inſituum Gracchum.) L. Apuleiũ Saturninũ C. Gracchi æmulum in aura populari captanda, perturbandáq; perniciosis

nicioſis legibus Rep. Quod inſeritur, inſitiuum appellatur à Gellio lib.12.cap.1. Cenſu prohibuiſſet.) uerius quàm de cenſu: id eſt, pro incenſo,& non ciue habuiſſet,è ciuium numero ſuſtuliſſet: ea enim cenſeri dicuntur,quæ in aliquem ordinem,& numerũ rediguntur.

In eam legem.) Apuleiam,quam ferebat L. Apuleius Saturninus. Non iure.) Contra auſpicia,& per uim latam. De ciuitate dimoueri.) in exilium pelli: poſtea uerò reſtitutus fuit lege à Calidio lata, occiſo Saturnino.Orat.pro Cn.Planc. De ſententia.) de ſuſcepta ratione,conſilióque aduerſus populares,ac ſeditioſos ciues.

Q.Catulus.) non intelligit patrẽ,de quo Orat.pro Rab.perduell. ſed filium,qui Conſulem Ciceronem oppreſſa coniuratione Catilinæ patrem patriæ nominauit.Orat.in Piſ. Aura.) ſpes & illecebra. Cic.Orat.pro Mur.totam opinionem parua nonnunquam commutat aura popularis. Suo curſu.) ſuſcepta Reip.defenſione. Ampla.) auctoritatẽ,dignitatẽ adferunt. Mandantur.) in hiſtoriis perſcribuntur,literis conſignantur ad æternã rei memoriam.lib.2. de Orat. ad Q. frat. Propagantur.) produ͂tur,in poſteros diffunduntur & prorogãtur. Id quod.) nempe dignitatẽ,amplitudinem,& ſummã in Repub.auctoritatem. Inſcitia ſit poſtulare.) facilè exiſtimarim hemiſtichium eſſe uerſus iambici cuiuſdam poetæ, fortè, Accij. Ex contentione honorum & gloriæ,etiam inter amiciſſimos plerunque acreis inimicitias exardeſcere teſtatur Cic.in Læl. Si ui labor.) qui hunc locum corruptum exiſtimarunt,ſtellulam adiecerunt: at ſanus erit,ſi pro ui,tu,legas:hoc ſenſu, Si te ita compares ad laborem perferendum,nullam ut curam aut moleſtiam fugias,nullum eſſe tuum laborem facilè ſentias. Idem.) Accius poeta in Atreo, Ennius in Thyeſte.Cic.lib.2.Offic. Exciperent.) in ſe probarent. Oderint, dum metuant.) Tyrannica uox: id eſt,malo eſſe potẽtior,quàm charior.prouerb. Dederat iuuentuti.) quibus iuuẽtutem ad uirtutem & gloriam excitabat. Magis.) haud ſcio quo ſenſu in cod. Germanicis. magnis legebatur. Diſcrepabat.) atque ita Timocratia exoriebatur contra Optimates,res in ciuitate pernicioſiſſima.Cic.lib. 1.Offic.omnino qui Reip.præfuturi ſunt,duo Platonis præcepta,&c.

Tabellaria lex à L.Caſſio *ferebatur: populus liberta-.*

tem agi putabat ſuam: diſſentiebant principes, & in ſalute optimatum temeritatem multitudinis, & tabellæ licẽtiam pertimeſcebant. Agrariã T. *Gracchus legem ferebat: grata erat populo: fortunæ conſtitui tenuiorũ uidebãtur: nitebantur contrà* Optimates, *quòd & diſcordiã excitari uidebant, & cùm locupletes poſſeſſionibus diuturnis mouerentur, ſpoliari* Remp. *propugnatoribus arbitrabantur.* Frumentariam *legem* C. *Gracchus ferebat: iucunda res plebi, uictus enim ſuppeditabatur large ſine labore: repugnabant boni, quòd & ab induſtria plebem ad deſidiam auocari putabãt, & ærarium exhauriri uidebatur.* Multa *etiam noſtra memoria, quæ conſultò prætereo, fuerunt in ea contentione, ut popularis cupiditas à conſilio principum diſsideret.* Nũc *iam nihil eſt quòd populus à delectis, principibúſque diſſentiat: nec flagitat rem ullam, neque nouarum rerum eſt cupidus: & otio ſuo, & dignitate optimi cuiuſque, & uniuerſæ* Reip. *gloria delectatur.* Itaq; *homines ſeditioſi ac turbulenti, quia nulla iam largitione* P. R. *concitare poſſunt, quòd plebs perfuncta grauiſsimis ſeditionibus ac diſcordiis, otium malle uideatur, conductas habent cõciones: neq; id agunt, ut ea dicãt aut ferant, quæ illi uelint audire qui in concione ſunt: ſed pretio ac mercede perficiunt, ut quicquid dicant, id illi uelle audire uideãtur.* Num *uos exiſtimatis* Gracchos, *aut* Saturninum, *aut quenquam illorum ueterum, qui populares habebantur, ullum unquam in concione habuiſſe conductũ?* Nemo *habuit: ipſa enim largitio, & ſpes commodi propoſiti, ſine mercede ulla multitudinem concitabat.*

Tabellaria.) Explanat, & exemplis docet. Suffragia primũ uoce ferebantur,

ferebãtur, deinde Gabinia lege & Caſsia ad imminuẽdam Senatus auctoritatem in odium Q. Seruilij Cepionis hominis Conſularis, tabella ferri cœperunt, tam in creando magiſtratu, quàm in reo iudicãdo. Cic. Orat. pro Cn. Plan. Etenim ſi populo grata eſt tabella, &c. In ea ſuffragiorum puncta fiebant. Agi.) ea lege ſuam libertatẽ firmari, ut iudicia libera eſſent, etiam in potentes reos. Temeritatem multitudinis.) leuitatem, ne ex inuidia, aut offenſione aliquãdo optimates condemnarent, opprimeréntue. Tabellæ licentiã.) cum tabella populo eam licentiam daret, ut pro libidine, clam tamen, de capite & fortunis optimatium ſtatuerent. Hinc Cic. 3. de legib. leges tabellarias improbans, ait latebram populo his legibus dandam non fuiſſe, in qua bonis ignorãtibus quid quiſque ſcribit, tabella uitioſum occultat ſuffragium. Agrariam T. Gracchus.) ne quis ex publico agro pluſquã decem iugera poſsideret. Plutarch. in uita Gracchorum. & Val. Max. lib. 6. cap. 3. Conſtitui.) hoc eſt, fundari. Diſcordiam.) quòd ueris dominis res auferrẽtur, huc referri poteſt conſilium Arati, de quo M. Tullius lib. 2. Offic. Quam habet æquitatem, ut agrum multis annis, aut etiam ſeculis, &c. Spoliare propugnatoribus.) Locupletes iidémque optimates, quorum bene fundatæ, cõſtitutæque ſunt opes, pro ſalute Reip. eiuſdémque commodis decertãt, ſeque & ſua in diſcrimen offerunt. Frumentariam.) ut triẽte & ſemiſſe frumentum daretur plebi. Plutarch. in Gracch. Flor. lib. 60.

Auocare putabãt.) ac uerè quidem. Nam etſi benignitas in mẽdicos ſpeciem habeat pietatis, ut plurimum tamen alit malorum luxurioſam ignauiam, ut meritò quidam Lacon mendico quid petenti reſponderit, Si quid dedero, magis es futurus mendicus: ac iſtius quidem probroſæ uitæ tuæ auctor fuit, qui tibi primus dedit, téque inertem fecit. Exhauriri.) illa largitione. Sed & Ciceroni exhaurire, perficere eſt, epiſt. Epheſum uenimus ad XI. Calend. Sext. lib. 5. epiſt. ad Att. Delectis.) Fortibus & præcipuis, uel egregiis ciuibus. ſic Orat. 2. in Rull. cum iſti decemuiri cum imperio, cũ faſcibus, cum illa delecta finitimorum iuuentute per orbem terrarum uagabãtur. Otio ſuo.) tranquillitate, Rep. bene conſtituta, & conſceleratorum factione minimè oppreſſa. Gloria.) quæſita ex defenſione Reip. eiuſdémque pacato ſtatu. Perfuncta.) liberata, quas nõ ſine

graui moleſtia ſubierat: & conductas conciones dixit, hoc eſt, pretio comparatas, emptas, ut conducere, emere ſit. Plaut. in Amphit. Credo, iam quæ uolebat ſacrificia ad epulum conduxit. Pretio, mercede.) ut multitudinem delinient. Populares.) apud populum gratioſi. Quenquam ueter.) ut Spurium Caſſium Vicelinum, qui primus Agrariam legem tulit Liu. lib. 2. Decad. 1. C. Licinium Stolonem Caluum App. lib. 1. bell. ciuil. C. Quintium Flaminium, Val. Max. lib. 5. cap. 4. Et conductum dixit, pro mercenariis conuentibus, emptiſq; concionibus. Largitio.) corruptela: largitiones populo Ro. ſuſpectas ſemper fuiſſe ſcribit Liu. lib. 2. Decad. 1. & Cic. lib. 2. Offic.

Itaque temporibus illis, qui populares erant, offendebãt illi quidem apud graues & honeſtos homines, ſed populi iudiciis, atque omni ſignificatione florebant. his in theatro plaudebatur, hi ſuffragiis, quod contẽderant, conſequebãtur: horum homines, nomen, orationem, uultum, inceſſum amabant. Qui autem aduerſabantur ei generi, graues & magni homines habebantur: ſed ualebant in Senatu *multum, apud bonos uiros plurimum: multitudini iucundi nõ erant: ſuffragiis offendebatur ſæpe eorum uoluntas: plauſum uerò etiam ſi quis eorum aliquãdo acceperat, ne quid peccaſſet, pertimeſcebat.* Attamen *ſi qua res erat maior, idem ille populus horum auctoritate maximè commouebatur.* Nunc *niſi me fallit, in eo ſtatu ciuitas eſt, ut ſi operas conductorũ remoueris, omnes idem de* Rep. *ſenſuri eſſe uideantur.* Etenim *tribus locis ſignificari maximè populi* Rom. *iudicium ac uoluntas poteſt, concione, comitiis, ludorum gladiatorúmque conſeſſu. Quæ cõcio fuit per hos annos, quæ quidem eſſet non conducta, ſed uera, in qua populi* Rom. *conſenſus perſpici poſſet?* Habitæ *ſunt multæ de me à gladiatore ſceleratiſsimo cõciones, ad quas nemo adi-*

bat

bat incorruptus,nemo integer: nemo illum fœdum uultum aſpicere,nemo furialẽ uocem bonus audire poterat. Erant, *erant illæ conciones perditorum hominum neceſſario turbulentæ.*

Offendebant.) delinquebant,parum grati erant bonis, honeſtiſque ciuibus,quales ſunt optimates. Significatione.) uoluntate, cũ in eos inclinaret populi ſtudium & uoluntas,propoſita ſpe commodi. His.) popularibus,qui gratia & opibus apud populum plurimũ poterant,ut pote,quibus duabus rebus aura popularis captetur. Liu. lib.5.Decad.1.Omiſſa inde in Cluſinos ira,&c. Theatri.) in quo ludi ſpectabantur.Vitru. Pollio lib.5.cap.3. Caßiodorus in quadam ad Symmachum epiſtola ſic ſcribit, Cùm agricultores feriatis diebus ſacra diuerſis numinibus per lucos uicóſque celebrarent, Atheniẽſes primum agreſte principium, in urbanum ſpectaculum collegerunt, Theatrum Græco uocabulo,uiſorium nominantes, quòd eminus aſtantibus turba conueniens,ſine aliquo impedimẽto uideatur. Qui autem.) Confert optimates cum popularibus. Ei generi.) popularium hominum. Graues & magni.) qui multitudinis ſtudio,aut errore potius non ducuntur. Offendebatur eorũ uolũtas.) ob repulſam,ſic elanguit Q.Cæcilius Metellus Cõſulatus repulſa, quẽ tamen poſtea conſecutus optimatiũ ſtudio,meliore alacrioréque eo ciue reſp. uſa eſt.Val.Max.lib.7.cap.5. Plauſum.) congratulationem popularem.Cic.1.Philipp.Equidem is ſum, qui iſtos plauſus,cùm à popularibus ciuibus tribuerentur, ſemper contempſerim. & Epictetus Stoicus, μὴ δὲ σὺ,inquit,περίμενε κρότους καὶ ψόφους καὶ ἐπαίνους, id eſt,neque tu expectaueris plauſus,ſtrepitus,& laudes. Ne quid peccaſſet.) ne à cõſtãtia & grauitate deſciuiſſet,ſéque populo præbuiſſet.Cic.lib.2.Offic. Maior.) difficilior,ut fortaſſe, ingruente bello.Liu.lib.6.Decad.1. Horum.) optimatium,quos tamẽ anteà ſpreuerant,ut mare eſt populus.Cic.Orat.pro Cluent.Ex quo intelligi potuit,id quod ſæpe dictum eſt,&c. Nunc niſi.) Homines Clodianæ factionis populo inuiſos eſſe probat,in quo triũ temporũ Reip. coniectura ac demonſtratione utitur: quibus quidem temporibus magnam Clodianorum inſolentiam fuiſſe uult. Operas conductorũ.)

Clodianas operas. Locis.) temporibus. Conſeſſu.) multitudine uno in loco conſidente. A gladiatore.) P. Clodio. Orat. de Aruſp. reſpon. Duobus inceptis uerbis omnem impetũ gladiatoris, ferociámque compreſsi. Incorruptus.) emptus non eſſet. Furialem.) execrabilem, exitialem. ſic Cic. ead. Orat. Tu cum furiales in cõcionibus uoces mittis, &c. Neceſſario.) quia ex improbis, corruptis, & gladiatoribus conſtabant. Turbulentæ.) ſeditioſæ. Cic. epiſt. Auere te certo ſcio. lib. 4. Epiſt. ad Att. Conciones turbulentæ Metelli, temerariæ Appij, furioſiſsimæ Publij.

Habuit de eodem me P. Lentulus Conſul concionem: concurſus eſt populi Rom. factus: omnes ordines, tota in illa cõcione Italia conſtitit: egit cauſam ſumma cum grauitate copiáque dicendi, tanto ſilentio, tanta approbatione omnium, nihil ut unquam uideretur tam populare ad populi Rom. aures accidiſſe. Productus eſt ab eo Cn. Pompeius, qui ſe non ſolùm auctorem meæ ſalutis, ſed etiam populo Rom. exhibuit. huius oratio & pergrauis, & grata concioni fuit. Sic contendere, nunquam neque ſententiam eius auctoritate, neque eloquentiam iucũditate fuiſſe maiore. Quo ſilentio ſunt auditi de me cæteri principes ciuitatis: quos idcirco non appello hoc loco, ne mea oratio, ſi minus de aliquo dixero, ingrata ſit: ſi ſatis de omnibus, infinita eſſe uideatur. Cedo nũc eiuſdẽ illius inimici mei de me eodẽ ad uerum populum in cãpo Martio concionẽ quis nõ modo approbauit, ſed nõ indigniſsimũ facinus putauit, illũ non dicã loqui, ſed uiuere ac ſpirare? Quis fuit qui nõ eius uoce maculari Remp. ſeq́ue, ſi eum audiret, ſcelere adſtringi arbitraretur? Venio ad comitia, ſiue magiſtratuum placet, ſiue legũ. Leges uidemus ſæpe ferri multas: omitto eas quæ feruntur, ita, uix ut quini, & hi ex aliena tribu, qui ſuffra-

ſuffragiũ ferant,reperiantur.de me,quẽ tyrannum atque ereptorem libertatis eſſe dicebat,in illa ruina Reip. *dicit ſe legẽ tuliſſe.quis eſt, qui ſe,cùm contra me ferebatur, iniſſe ſuffragiũ cõfiteatur?cùm autẽ de me eodẽ ex* Senatuſcõſul*to comitiis Cẽturiatis ferebatur,quis eſt. qui nõ profiteatur ſe adfuiſſe,& ſuffragium de ſalute mea tuliſſe?*V*tra igitur cauſa popularis debet uideri? in qua omnes honeſtates ciuitatis,omnes ætates,omnes ordines una conſentiũt, an in qua furiæ cõcitatæ tanquam ad funus* Reip.*cõuolant?* An *ſicubi aderit* Gellius,*homo & fratre indignus uiro clariſſimo atq; optimo* Cõſule,*& ordine* Equeſtri,*cuius ille ordinis nomen retinet,ornamenta confecit: id erit populare?*

P.Lentulus.) Conſul,ac legitimus Reip.tutor. Orat. poſt red. ad Quirit. Concurſus populi.) in Capitoliũ unà cum tota Italia conuocati.Orat.poſt red.in Sen. & Orat. pro dom. Ille uerò dies quis fuit? cum te P. Lentule, &c. Populare.) populo gratum ac iucundum. hinc popularia ſacra, Feſto. Productus.) in concionem: quanquam & multos productos fuiſſe ſcribit.Orat.poſt red.in Sen. Denique omnes qui ueſtris, &c. Cn.Põpeius.) Cuius oratio fuit tripertita.ead Orat.& Orat.in L.Piſ.De mea ſalute,P.Lentuli.Cn. Pompeÿ,&c. Supplicem.) eadẽ Orat.in Sen.& Orat.pro dom. Idémque cùm dixiſſet,tum etiam pro ſalute mea populum Rom.obſecrauit. Cæteri principes.) Orat.in L.Piſ.loco paulò ante citato. De mea ſalute.& Orat.poſt red.in Sen.Eodem tempore audiſtis eodem ex loco,ſummos uiros,&c. Approbauit.) nemo certè. Paulo Iureconſ.in L.ſi in lege locationis.De locato.lib.19.Pandect.eſt probè ac rectè conſummatum præſtare,ídque redemptoris eſt, non locatoris. Bud. Maculari.) Pollui ,contaminari. Adſtringi.) Sic & Plato lib.2.de Rep.impietatis eos arguit,qui eũ exaudierint, qui de diis nefariè aut ſentiat,aut cogitet. Comitia.) coitiones totius populi,concilia ſunt,cùm populi pars conuenit. Magiſtratuũ,legũ.) Nã & leges comitiis ſanciebãtur,& magiſtratus creabãtur,nõnun-

quam etiam de alicuius capite in comitiis agebatur. Plaut. in Aulul.

I bo intro, ubi de capite meo ſunt comitia.

id eſt, ubi quid de me, meâque ſalute tanquam in comitio aliquo decernitur, diſceptatúrque. Aliena Tribu.) aſcititia, extera: quòd cùm Clodius ſuas leges ferret, nullus omnino ciuium, ſeu Tribus urbanæ, ſeu ruſticæ eas leges cōprobaret. alienas ergo, hoc eſt, aſcititias, miniméque ueras ac germanas Clodium ſibi ſuppoſuiſſe, & cōparaſſe neceſſe eſt, ſuis ut legibus auctoritatem aliquam daret. De tribubus erudite admodum ſcripſit Paulus Manutius ad 8. lib. Epiſt. fam. Nō eſt quod actum agam. Tyrannum.) qui coniuratos in dicta cauſa ſupplicio afficiēdos curaſſem. Saluſt. in Catil. & epiſt. 2. lib. 5. Epiſt. fam. Ereptorem libertatis.) ut ea de cauſa uideatur Clodius libertatis ſimulachrum in Ciceronis domo collocaſſe. Orat. pro dom. & Plutarch. in Cicerone. Legem tuliſſe.) de mea pernicie, & ne reciperer, aut reuocarer: at lex non fuit, ſed nefariū priuilegium. ead. Orat. Tulerat autem eam legem Clodius, lugēte Senatu, mœrentibus bonis omnibus, totius Italiæ precibus repudiatis. eād. Orat. Senatuſconſulto.) Senatu in Capitolium conuocato à P. Lentulo Conſule. Orat. poſt red. in Sen. quo illud decretum eſt, ut qui ciuis Ciceronem non defendiſſet, parum de Rep. cogitaſſe uideretur. Comitiis Centuriatis.) ead. poſt red. Orat. Cicero hunc locum explicat: P. Lētulus Comitiis Centuriatis, quæ maximè maiores, &c. De duplici genere Comitiorum Centuriatorū, & Curiatorū ſcribit Liu. lib. 5. Decad. 1. Quid alia, quæ auſpicato agimus omnia, &c. Vtra cauſa.) mea an Clodij? mea certè. Furiæ.) Clodiani ad diripiendam Remp. parati, eandémque internecione delendam. Gellius.) C. Gellius Publicola. epiſt. 3. lib. 4. Epiſt. ad Att. & Orat. in Vat. nutriculam ſeditioſorum appellat. Fratre.) L. Gellio. Hic honorificentiſsimè de Cicerone, & ſenſit, & dixit, ut uidere eſt Orat. poſt red. ad Quirit.

Ornamenta.) ut cenſum Equeſtrem. Confecit,) decoxit, perdidit ſuo luxu. ſic Cicero Orat. pro L. Flac. Qui patrimoniū ſatis lautū, quod hic nobiſcū conficere potuit, Græcorū cōuiuiis maluit diſsipare.

Eſt enim homo iſte P.R. *deditus: nihil uidi magis, qui cum eius adoleſcentia in ampliſsimis honoribus ſummi uiri*

ri L.P*hilippi uitrici florere potuiſſet,uſque eò non fuit popularis,ut bona ſolus comeſſet.* Deinde *ex impuro adoleſcente & petulante,poſtea quam rem paternam ab idiotarum diuitiis ad philoſophorum regulam perduxit,Græculum ſe, atque otioſum putari uoluit: ſtudio literarum ſe ſubitò dedidit.* Nihil *ſanè arte iuuabant anagnoſtæ, libelli etiam pro uino ſæpe oppignerabantur: manebat inſaturabile abdomen, copiæ deficiebant.* Itaque *ſemper uerſabatur in rerum nouarũ otio, & tranquillitate* Reip*ub.cõſeneſcebat.*Ecquæ *ſeditio unquam fuit, in qua non ille princeps? ecquis ſeditioſus,cui ille nõ familiaris? ecquæ turbulenta concio,cuius ille non concitator? cui bene dixit unquam bono? bene dixit? imò quem fortem, & bonum ciuem non petulantiſsimè eſt inſectatus? qui,credo,non libidinis cauſa, ſed ut plebicola uideretur,libertinam duxit uxorẽ.is de me ſuffragiũ tulit,is affuit, is interfuit epulis & gratulationibus parricidarum:in quo tamen eſt ne ullus cũ illo reo inimicus? eſt meus ſuauiatus: qui quaſi mea culpa bona perdiderit,ita ob eam cauſam eſt mihi inimicus,quia nihil habet.*Vtrum *ego tibi patrimonium eripui* Gelli,*an tu comediſti?* Quid? *tu meo periculo gurges,ac uorago patrimonij belluabare, ut ſi ego* Conſul Remp. *contra te,& gregales tuos defendiſsẽ,in ciuitate eſſe me nolles? te nemo tuorum uidere uult, omnes aditum, ſermonẽ, congreſſum tuũ fugiunt.* T*e ſororis filius* Poſthumius *adoleſcens grauis ſenili iudicio notauit,cùm in magno numero tutorẽ liberis nõ inſtituit.Sed elatus odio,& meo,&* Reip. *nomine: quorũ ille utri ſit inimicior,neſcio: plura dixi,quã dicendum fuit, in furioſiſsimũ & egentiſsimum ganeonẽ.*

Eſt enim.) Ironia eſt. Inuadit in Gellium ſuffragatorē legis Clodiæ: in quem excurſu facto acriter inuehitur, nequitiam, egeſtatem, & prauos mores inſectans. Vidi magis.) quicquam populare, eo populariorē uidi neminem. Qui cùm eius.) al. qui cùm adoleſcēs: Germanicus codex, quòd cùm eius adoleſcētia, &c. Mutilus eſt & decurtatus hic locus in Aldino codice. T. Philippi.) cuius priuignus erat Gellius. Hūc ergo patrem L. Martij Philippi fuiſſe puto, qui eo anno quo reuocatus eſt Cicero, Cōſul fuit. Vitricus, matris meæ maritus eſt, nō pater. Comeſſet.) pro comederet, ſalſe ex ambiguo dictum uidetur. Deinde.) notat leuitatem, & inconſtantiam decoctoris. Ab idiotarum diuitiis.) ut qui ad extremam redactus inopiam, diuites tāquam idiotas, & parum ingenioſos, intelligētéſque contemneret. eſt enim ἰδιώτης Græcis indoctus & illiteratus, quales ſunt ferè omnes circunforanei inſtitores, quantumuis malè partis diuitiis affluant. Græculum.) uanum & inanem, ut contemptim hoc dictum ſit. ſic apud Cic. Orat. in Piſ. & Orat. poſt red. in Sen.

Arte.) diſciplina, doctrina. Et Anagnoſtæ, lectores ſunt, & quaſi interpretes. Iſidoro, apud Gratianum diſtinct. 25. can. perlectis, ἀναγνῶσται ſunt, qui ſacras ſcripturas ex ſuggeſto in Eccleſia recitant. Quo munere aliquando functum fuiſſe in eccleſia Iulianum apoſtatam imperatorem teſtis eſt Theodoritus, lib. 3. cap. 2. Plura de iis ſcribit Socrates hiſtoriæ Tripart. lib. 9. cap. 38. Sed hæc extra rem.

Oppignerabantur.) pignori dabantur, & ut eſt apud Terent. in Phor. pignori opponebantur. Eſt & ius oppignerationis perſonarum, quod Barbari Itali Repræſalia dixerunt, Nouel. Iuſtin. conſtitut. 52.

Abdomē.) inteſtinum guloſi hominis: atque hoc de inexplebili uentre dicitur. Cornelius Celſus lib. 4. cap. 1. Nouarū rerum.) noua conſilia agitabat, ut faciunt, qui omnem rem ſuam decoxerunt.

Conſeneſcebat.) tabeſcebat, quòd Reſp. fœlicem ac florētem ſtatum teneret. Plebicola.) alludit ad P. Valerium Publicolā, de quo Liu. lib. 1. & 2. Decad. 1. Populi Rom. maieſtatē uenerando, publicolæ cognomen eſt aſſecutus. Val. Max. lib. 2. cap. 1. & lib. 4. cap. 1.

Libertina.) uilioris conditionis uxorem homini patricio non licebat cum liberta matrimonio iungi, ut religio eſſet, inter impares genere, honeſtate ac dignitate perſonas matrimonium contrahi. L. lege

Papia.

Papia.de ritu Nup.lib.23. Pandect. Epulis.) & intẽperatiſſimis perpotationibus.Orat.in L.Piſ.Epulũ nomen eſt lætitiæ & magnificentiæ. Gratulationibus.) ead. Orat. in Piſ. Quid ego illorum dierum epulas,&c. Parricidarum.) duorum conſulum Piſonis,& Gabinij,& P.Clodij Tribuni pleb. In quo tamen.) in hoc mutilato,aut ſaltem mihi obſcuriſſimo loco,uix certi quicquã habeo quod ſequar:dicã tamen ingenuè quod ſentio,docti iudicent.In quo,id eſt, cum ita obſtinate Gellius meis inimicis ac patriæ parricidis adhæſerit,éſtne tamen aliquis qui cum illo reo,hoc eſt,ſceleribus addicto homine,inimicitias exerceat? nullus certè: & εἰρωνικῶς ipſe reſpondet, Meus enim eſt ſauiatus,id eſt,mea uoluptas,meæ deliciæ, niſi fortè ob id illi ſim inimicus,& nunc diſpliceã maximè : quòd cùm ita illũ amplexarer, & perdite amarẽ, tantæ decoctionis rei paternæ auctor fuerim:ut hæc à Cicerone dici putem,quò ſignificet Gelliũ uoluptatibus ſummè deditum fuiſſe,& in eas uniuerſum patrimonium profudiſſe. Periculo meo.) cùm in tuis illis epulis de me expellendo cogitares. Helluabare,id eſt,patrimoniũ decoquebas. Gregales.) cæteros Clodianos.Orat.pro dom.Quod de grege eſt,ac ueluti ſodalitio aliquo,gregale dicitur.De grege & factione Clodiana erat Gellius. Aditum,ſermonem.) Sic & Plinius teſtatur lib.6.cap.22. regem Arabum morte mulctari,nullo interimẽte,auerſantibus cunctis,& commercia etiam ſermonis negantibus. Poſthumius.) hũc quærimus.an Cn.Poſthumium Albinum intelligat, neſcio. Poſthumiorum meminit Val.Max.lib 2.cap.2.& 4.lib.6.cap.3. Senili.) ſapienti.Prudentiã eſt ſenectutis,temeritas florentis ætatis. νέος μὲν ἀνόητος, ait Ariſtoteles lib.1 Ἠθικ. Νικομ. Notãtur,& cuius mores parum probantur,ob idque à geſtione aliqua reiicitur, & qui reprehenditur:hinc Iuliani Iureconſulti notæ in Minutium,L. Minutius interrogatus.lib.6.Pandect.de rei uindicat.

Illuc reuertor:contra me cùm ſit actum,capta urbe atque oppreſſa,Gellium,Firmidium, Titium, eiuſdẽ furias, illis mercenariis gregibus duces & auctores fuiſſe : cũ ipſe lator nihil ab horũ turpitudine,audacia,ſordibus abhor-

reret. At cùm de dignitate mea ferebatur, nemo ſibi nec ualetudinis excuſationẽ, nec ſenectutis ſatis iuſtã putauit: nemo fuit qui ſe nõ R. P. mecũ ſimul reuocare in ſuas ſedes arbitraretur. Videamus nũc comitia magiſtratuum. Fuit collegium nuper Tribunitiũ, in quo tres minimè, uehemẽter duo populares exiſtimabãtur: ex iis qui populares non habebãtur, quibus in illo genere conductarũ concionũ cõſiſtendi poteſtas non erat, duos à populo Ro. prætores uideo eſſe factos: & quãtum ſermonibus uulgi, & ſuffragiis intelligere potui, præ ſe Pop. Rom. ferebat, ſibi illũ in Tribunatu Cn. Domitij animũ conſtãtem & egregiũ, atq; Q. Ancharij fidẽ ac fortitudinẽ, etiã ſi nihil agere potuiſſent, tamen uoluntate ipſa gratũ fuiſſe. Iam de C. Fannio, quæ ſit exiſtimatio, uidemus: quod iudiciũ Pop. Rom. in honoribus eius futurum ſit, nemini dubium eſſe debet. Quid? populares illi duo quid egerunt? alter, qui tamen ſe continuerat, tulerat nihil, ſenſerat tantùm de Rep. aliud atque homines expectabant, uir, & bonus, & innocens, & bonis uiris ſemper probatus: quòd parum uidelicet intellexit in Tribunatu: quid uerò populo probaretur, & quòd illum eſſe Pop. Rom. qui in concione erat, arbitrabatur: non tenuit eum locũ, in quem, niſi popularis eſſe uoluiſſet, facillime perueniſſet. Alter, qui ita ſe in populari ratione iactarat, ut auſpicia, legem Aeliam, Senatus auctoritatẽ, Conſulem, Collegas, bonorum iudicium nihil putaret: Aedilitatẽ petiuit cum bonis uiris, & hominibus primis, ſed non præſtantiſſimis opibus & gratia, tribum ſuam non tulit: Palatinam denique, per quam omnes illæ peſtes uexare P. R. dicebãtur, perdidit: nec quicquam illis comitiis, quod

boni uiri uellent,niſi repulſam,tulit.Videtis igitur populũ ipſum,ut ita dicam,iam non eſſe popularem,qui ita uehementer eos qui populares habẽtur,reſpuat: eos autem qui ei generi aduerſantur,honore digniſsimos iudicet.

Illuc reuertor.) ad mercenarios,egentes,ac ſeditioſos homines legis Clodianæ ſuffragatores. Actum.) latum de me à Clodio,ſæpe dixi ex Orat.pro dom.& epiſt.1.lib.3.Epiſt.ad Att. Capta atque oppreſſa.) ſuſpenſa ac ſollicita tota ciuitate.ead.Orat.pro dom. Firmidium.) unum ex ducibus Clodianis.Qui Fidulũ reponũt,C. Fidulum Atratum intelligunt,de quo Cic.Interrog.Vat.nihil ego immutare auſim:Sic Lentidium,Lollium,Sergium duces Clodianos dicit. Orat.pro dom. Titium.) al.Titum.Titus Clodius Vatinium de P. Sextio accuſando cõſuluerat. Quid ſi Tetiũ legas? Nam Tetius Damio Clodij libertus & apparitor dicitur ab Aſcon. Orat. pro Mil. huius denique mentio fit.epiſt.3.lib.4.Epiſt.ad Att. Lator.) Clodius qui legem de mea pernicie tulerat,ac meorum bonorum proſcriptionẽ. Nec ualetudinis excuſationem.) Cic.Orat.poſt red.in Sen. Eo die quo de me agebatur,quis ciuis fuit? Reuocare.)cum Reſp. mecum abeſſet,nec futura eſſet ulla,ſi non rediiſſem.Orat.pro dom. & accerſitum ſe potius quàm reſtitutum, dicit ead. Orat. & Orat. poſt red.in Sen.Me Lentulus in patriã accerſiuit, &c. Comitia.) quorum plerunque magnæ ſunt perturbationes, magni æſtus, adeò ut nihil ſit fallacius tota ratione comitiorũ.Orat.pro L.Mur. Collegium.)Tribunorum Cn.Domitij,Catonis,Cn. Poſthumij, Vatinij, C.Fannij,Ancharani,Q.Metelli Nepotis,&c.L.Muræna,& Decio Iunio Syllano Coſs.urb.cond.an.692. Tres.) Cn.Domitius,Q. Ancharanus,C.Fannius.Cic.Interrog.Vat. Collegas habuiſti uiros fortes nouem,ex his tres erant,&c. Duo populares.) Q.Metellus Nepos,& Vatinius,qui multitudinis leuitatẽ uoluptate,quaſi titillarent. Ariſtot. lib.5.πολιτ.cap.11. Duos prætores.) Cn. Domitius,& Q.Ancharius.Cic.ead.Interrog.Vat.loco paulò antè citato. Conductarum concionum.) hoc eſt,ſeditioſarum,turbulẽtarum. Præ ſe ferre,eſt quod animo ſentis,id & uultu promptũ habere & lingua.Cic.Orat.pro Cn.Plan.Cui ego nunquam diſsimulaui me

plurimum debere, ſempérque præ me feram. Nihil agere.) profi-cere, quantumuis ſtrenuè Remp. aduerſus duos illos populares colle-gas, & conciones conductas, defenderent. Volunt.) in qua uirtutis ſumma laus ineſt: etſi eò quò uis, non peruenias. Ouid. lib. 3. de Pōto.

Vt deſint uires, tamen eſt laudāda uolūtas. Et Propert. lib. 2.

Quòd ſi deficiant uires, audacia certè

Laus erit: in magnis & uoluiſſe ſat eſt.

In honoribus eius.) Huic quidē Cicero Interrogat. Vat. tribuit au-ctoritatem Conſularē, hoc eſt, ſummam auctoritatem, parem Con-ſulibus: neque enim exiſtimarim Conſulem eſſe factum C. Fannium.

Alter qui.) Q. Metellum Nepotem intelligit: qui aliter multò quàm homines ſperabant de Cicerone, ac Rep. ſententiam dixerat. Et innocens, is eſt, non qui leuiter, ſed qui nihil noceat. Cicer. 5. Tuſcul.

Vero.) incorrupto, pretio aut mercede non conducto. Arbitra-batur.) At certè non erat, cum mercenarij omnes eſſent, & operæ.

Non tenuit.) eum honorem in Rep. nō eſt conſecutus. Et Augu-ratum intelligit, quē cùm petere Nepos cogitaſſet mortuo fratre Q. Metello Celere, in cuius locū ſurrogari uolebat, miſſus fuit à Senatu cum poteſtate proconſulari in Hiſpaniā. Plutarch. in Cæſ. & Dion lib. 39. Cicero lib. 2. Epiſt. ad Att. epiſt. Cupio equidem, & iampri-dem. perierat enim Q. Metellus Celer Augur, ut ex oratione in Va-tinium cognouimus. Itaque non conſecuti Auguratus non putes ue-ram eſſe cauſam, quam hìc adfert Cicero. Alter.) Vatinius in quē extat oratio, aut ſi mauis interrogatio. epiſt. illa lōga. ad Lētul. lib. 1. Epiſt. fam. Populari ratione iactarat.) ita in Tribunatu, popula-riter, factioſè, ſeditioſéque ſe geſſerat, ſéque ita popello uenditarat.

Aeliam.) Interrogat. Vat. Simul etiam uolo uti reſpondeas, &c.

Auctoritatē Senatus.) Auctoritas uerè eſt Senatus, imperium Conſulum. Et Conſulem, L. Murænam intelligit: Collegas, cæteros no uem Tribunos pleb. Nihil putaret.) quod & arrogantis eſt, & o-mnino diſſoluti. Cic. lib. 1. Offic. hinc Vatinium hominem imperitiſſi-mum ſolidæ laudis ac ueræ dignitatis dicit, Interrogat. Vat. ea autem eſt, bonorū iudiciū de excellenti uirtute alicuius. 3. Tuſcul. Aedi-litatē.) Quæſturam geſſerat Vatinius, in Aedilitate repulſam tulit. Aedilitatem primum aſcenſum fuiſſe, ad honoris amplioris gradum

omnes

omnes intelligũt ex Cic.3.lib.de Legib. Primis.)primarius,clariſſimis. Tribum non tulit.) ſuffragantem non habuit, cum comitia Tributa haberentur. Palatinam.) quæ ad Palatinum montẽ conſederat.Varro initio lib 4.de lingua Lat.& Pomp.Feſtus ad finem lib.de uerb.ſignificat.& Peſtes,Clodianos dicit. Eos autem.) optimates ac bonos ciues.

Veniamus ad ludos: facit enim Iud.ueſter in me animorum,oculorúmque contuitus,ut mihi iam licere putem remiſſiore uti genere dicendi. Comitiorum & concionum ſignificationes interdum ueræ ſunt; nonnunquam uitiatæ atque corruptæ:theatrales,gladiatoriíque conſeſſus dicũtur omnino ſolere leuitate nonnullorũ emptos plauſus exiles & raros excitare:attamen facile eſt,cùm id fit,quemadmodũ,& à quibus fiat,& quid integra multitudo faciat,uidere. Quid ego nunc dicam,quibus uiris, aut cui generi ciuium maximè applaudatur? neminem ueſtrum fallit.Sit hoc ſanè leue,quod non ita ſentio, quoniam optimo cuique impertitur .ſed ſi eſt leue,homini graui leue eſt : ei uerò qui pendet à rebus uiliſſimis,qui rumore, & (ut ipſi loquũtur) fauore populi tenetur & ducitur, plauſum immortalitatẽ,ſibilum mortem uideri neceſſe eſt. Ex te igitur Scaure potiſſimũ quæro,qui ludos apparatiſſimos magnificẽtiſſimóſq; feciſti,ecquis iſtorũ populariũ tuos ludos aſpexerit? ecquis ſe theatro, populóq; Rom.cõmiſerit? Ipſe ille maximè ludius,non ſolũ ſpectator,ſed actor & acroama, qui omnia ſororis embolia nouit, qui in cœtum mulierum pro pſaltria adducitur: nec tuos ludos aſpexit in illo ardẽti Tribunatu ſuo:nec ullos alios,niſi eos à quibus uix uiuus effugit. Semel,inquam, ſe ludis homo popularis commiſit omnino, cùm in templo uirtus honori, bonos habitus eſſet

uirtuti: C.que Marij conſeruatoris huius imperij monumentum municipij eius, & R.P. defenſori ſedem ad ſalutem præbuiſſet. Quo quidem tempore quid Pop. Rom. ſentire ſe oſtenderit utroque in genere, declaratum eſt. Primo, cùm audito S.C. ore ipſi, atq; abſenti Senatui plauſus eſt ab uniuerſis datus: deinde, cum Senatoribus ſingulis ſpectatum è Senatu redeuntibus: cùm uerò ipſe qui ludos faciebat, Conſul aſſedit, ſtantes, & manibus paßis gratias agentes, & lachrymantes gaudio ſuam erga me beneuolentiam ac miſericordiã declararunt. At cùm ille furibundus incitata illa ſua uecordi mente ueniſſet, uix ſe Pop. Ro. tenuit: uix homines odium ſuũ à corpore eius impuro atq; infando repreſſerunt. uoces quidem, & palmarũ intẽtus, & maledictorum clamorem omnem profuderunt.

Ad ludos.) Quos Aediles Curules curabant. uerba legis 12. tabul. hæc ſunt: Suntóque Aediles curatores urbis, annonæ, ludorúmq; ſolennium. Remißione.) liberiore, laxioréque & quadantenus à contentione Iudiciali alieno. Eſt & Ciceroni remiſſus, ſegnis, minus diligens & acer. Orat. pro L. Mur. Itaque cùm te Serui remißiorem in petendo putarent, Catilinam, & ſpe, & cupiditate inflammatum uiderent, &c. Veris, ac pretio minimè comparatis cõcionibus, corruptæ uitiatæque opponuntur, quales erant Clodianorum. Theatrales conſeſſus.) Ludi Scenici, qui in theatro fiebant: conſeſſus autem dixit, quòd populus ſedendo ſpectaret. Integra multitudo.) non corrupta, aut conducta. A quibus.) Qui nam hos conſeſſus gladiatorios, ſeu munera exhibeant, ſint'ne optimates, an leues ciues, ſeu populares. Quibus uiris.) nempe optimatibus ac bonis ciuibus.

Sed ſi eſt leue.) latet hic quædã anthypophora. Occurrit enim & remouet à Clodio id quod de eo fortaſſe dici potuiſſet: eũ quoq; optimum ciuem uideri, qui plauſu à populo exceptus fuiſſet. At non ita eſt, inquit: Optimus enim ciuis ea eſt grauitate, ut quãuis hæc ſibi tribuantur,

buantur, leuia tamen omnia eſſe exiſtimet: Clodius uerò homo leuiſſimus & maximè popularis, plauſum quaſi immortalitatem quandam ac ueluti ſummum bonum amplectitur: cōtrà ſibilum, ut mortem & ſummum malum fugit, deteſtatúrque. Ei.) Clodio, & cæteris popularibus. Sibilum.) quo exploditur is qui parum placet. Cic. Orat. pro Roſc. Com. qui poſteaquam è ſcena non modò ſibilis, ſed etiam conuitio explodebatur. Ex te igitur.) Negat Clodianos ludis publicis auſos ſe fuiſſe committere, qui à fortibus uiris populo exhibebantur. Scaure.) Hic cùm Aedilis eſſet, magnificētiſſimā ſcenam inſtruxit, & theatrale munus populo exhibuit. Plin. lib. 36. cap. 15. Iſtorum.) Clodianorum populi fauorem captantiū. Ipſe ille.) P. Clodius. Ludius apud Hetruſcos hiſtrio dicebatur, Val. Max. lib. 2. cap. 1. Actor.) comœdiarum in theatris. Sed & qui patronus cauſæ eſt, actor etiam eſt Ciceroni in Brut. cùm de Molone Rhodio mentionem facit. Acroama.) Etſi acroamata ſint feſtiuæ & iucūdæ narrationes, ſæpe tamen apud Ciceronem legas pro hominibus ipſis acroamata recitantibus. Plaiſanteur, raconteur de nouuelles. Embolia.) omnes ad ſororem Clodiam tanquam in ſcenam aliquam, & argumētum ingreſſus & aditus. Facete hominem deſcribit, flagitia & ſtupra illius notans: alludit autem ad ſcenicū quēdam ingreſſum ac perſonam: inceſtum enim Clodius cum ſorore cōmiſerat, & Bonæ deæ ſacra contaminarat. Pſaltria.) cantatrice. Notatur mollities Clodij, qui habitu ancillæ inuētus fuit in ſacris Bonæ deæ. Ardenti.) ſeditioſo, furoris ac irarum pleno. Niſi eos.) qui tum edebantur à Lentulo, iam Senatuſconſulto de mea ſalute facto. Cùm in templo.) & lucus & templa honoris ac uirtutis coniuncta fuēre. Sabin. lib. 1. Antiq. urb. ad ea alludit hoc loco, ſignificans & uirtuti ſuæ, qua Remp. defenderat honorem habitum fuiſſe à Senatu, & uiciſſim honori uirtutem attributam, hoc eſt, non immerito tantis rebus geſtis: honorem ſententiis & ſuffragiis Senatus adeptum. Neque uerò cuiquam patebat aditus ad honoris templum, niſi qui prius uirtutis ædem ingreſſus eſſet. Templo.) uirtutis. De quo uide Liu. lib. 9. Decad. 3. Lact. lib. 1. Inſtitut. diu. cap. 20. Plin. lib. 35. cap. 9. Monumentum.) templum uirtutis ab eo conſtructum. Plutarch. in Mar. Municipij.) Arpini. Arpinates fue-

re Marius & Cicero. Dictum iam illud fuit ex Plutarch. Sedem.) locum habendi Senatus, qui non niſi in templo, id eſt augurato loco haberi poterat. Ad ſalutem.) ad conficiẽdum meum reditum. Quo tempore.) quo de me Senatuſcõſultum fiebat in templo uirtutis. Audito S.C.) ad ludos, ſcenámque perlato, ut mox ſubi cit. Ore.) uoce ipſa. Ipſi.) Senatuſconſulto. Plauſus.) in tanta omnium de me lætitia, Oratio in L. Piſ. Spectatum redeũtibus.) ut uiderent quem exitum illius S.C. in ludis ſcenicis recitatio eſſet habitura. Ipſe Conſul.) P. Lentulus. Aſſedit.) theatrum ingreſſus. Stantes.) cùm omnes Cõſuli aſſurrexiſſent. Quid Ciceroni miſericordia ſit, uide 3. & 4. Tuſcul. Ille furibundus.) P. Clodius, cuius impetus furentes & uolatici dicũtur à Cicerone Orat. de Aruſp. reſpon. Vecordi.) parum ſana, leui, perturbata. Cic. 1. quæſt. Tuſcul. alius cor ipſum animus uidetur, &c. [illegible] Tenuit.) qui in eum irrueret. Impuro.) omnium libidinum maculis notato. Profuderunt.) largè, effuſéque coniecerunt. uerbum iſtud exceſſum habet: profundit enim qui ſupra modum inſumit. Terent. in Adelph.

Tibi ſi iſthuc placet,
Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet.

Sed quid ego populi Rom. animum uirtutẽmque commemoro, libertatem iam ex diuturna ſeruitute reſpicientis in eo homine, cui tum petenti iam Aedilitatẽ ne hiſtriones quidem coram ſedẽti pepercerunt? Nam cùm ageretur Togata, ſimulans, ut opinor, caterua tota, clariſſima contentione in ore impuri hominis imminẽs concionata eſt.

Huic uitæ tuæ - &
Poſt principia atque exitus uitioſæ uitæ.

ſedebat exanimatus: & is qui anteà cantorũ conuitio cõciones celebrare ſuas ſolebat, cantorum ipſorum uocibus eiiciebatur. Et quoniam facta mẽtio eſt ludorum, ne illud quidem prætermittam, in magna uarietate ſententiarum, nunquam ullum fuiſſe locũ, in quo aliquid à poëta dictum

cadere

cadere in tempus noſtrum uideretur, quod aut populum uniuerſum fugeret, aut nõ exprimeret ipſe actor. Et *quaſo hoc loco,* I*udices, ne qua me leuitate ductum ad inſolitum genus dicendi labi putetis, ſi de poëtis, de hiſtrionibus, de ludis in iudicio loquar, nõ ſum tam ignarus* Iud. *cauſarũ, non tam inſolẽs in dicendo, ut omni ex genere orationem aucuper, & omnes undique floſculos carpam atque delibem. ſcio quid grauitas ueſtra, quid hæc aduocatio, quid illi conuentus, quid dignitas* P. *Sextij, quid periculi magnitudo, quid ætas, quid honos meus poſtulet. ſed mihi ſumpſi hoc loco doctrinam quãdam iuuentuti, qui eſſent optimates: in ea explicanda demonſtrandum fuit, non eſſe populares omnes eos qui putẽtur.* Id *facillimè conſequar, ſi uniuerſi populi iudicium, uerum & incorruptum, & ſi intimos ſenſus ciuitatis expreſſero.*

Diuturna ſeruitute reſpicientis.) al. reſpirantis. Cic Orat. de Aruſp. reſpon. Idem poſteaquam reſpirare uos à metu cædis, emergere auctoritatem ueſtram, &c. In eo homine.) Clodio opprimendo, explodendo, irridendo. Petenti.) & idcirco ludos faciẽti. Plutarc. in Pomp. Pepercerunt.) ſed in eum conuitiorum ac maledictorum clamores profuderunt. Supra. Togata.) Comœdia: Nam, ut Græcas fabulas ſeu comœdias ab habitu ludionum, actorúmue palliatas dixerunt, ſic & togatas, quæ iuxta ritus Romanorum toga maximè utentium actæ fuiſſent. Don. Simulans.) quaſi aliud agẽs, & ſententiam argumenti cõuertens. Caterua.) Chorus, quem ueteres ludis Scenicis & comœdiis adhibuerunt, poſteri ſuſtulerunt, ut apud Plautum, aut Terentium, choro nullus ſit relictus locus. Contentione.) uocis & profuſo clamore. al. concentione, quod non omnino diſplicet. Concionata.) In Clodiũ. Germanicus codex cõcinnata.

Huic uitæ tuæ.) Liceat mihi in tam corrupto & truncato loco coniectura uti: itaque ſanior uidetur lectio, ſi, huic uice tua, legatur:

& ſi fateamur carmina illius ſcenici ludi Clodiani deeſſe, quibus uel ipſum Clodium chorus, uel Pompeium Clodius, concionem per uices interrogans conſectabatur, hoc ſenſu: Huic Pompeio bono ciui & optimati, uice tua, tuo ipſius loco, ô Clodi, & poſt principia atq; exitus uitioſæ tuæ uitæ, téque nefario illo Tribunatu perfuncto, demandata eſt Reip. per te, & tuas operas afflictæ, erigendæ ac ſtabiliendæ cura: Vel ſi mauis, uice tua, ad ea referas quæ in ſuo illo conſeſſu theatrali, Clodius in Pompeium dixerat, cùm interrogaret concionem: Quis imperator impudicus? quis uir uirum quærit? quis uno digito caput ſcalpit? cui concio alternatim reſpondebat, ita tamen ut conuerſa argumenti ſententia omne illud in ipſum Clodium contorqueret. uide Plutarch. in Pomp. Sedebat.) Clodius in ludis, ualde perterritus, cùm hæc in ſe dici à choro ſimulatione ac conuerſione argumenti uideret. Vocibus.) conuitiis. Sententiarum.) in ſcena ſeu fabula Clodiana contentarum. Cadere in tempus noſtrum.) noſtro aut Conſulatui, aut exilio quadrare.) Fugeret.) quod non populus ipſe facile intelligeret. Labi.) digredi, quòd de ſcenicis actoribus in cauſa iudiciali, & publica aliquid dicam. Inſolens.) rudis, inexercitatus in forenſibus cauſis agendis. Inſolentē infamiæ Pompeium dicit Cicero epiſt. de Rep. quid ego tibi ſubtiliter? lib. 2. epiſt. ad Att. quòd ea eſſet animi mollitie, ut iniuriam ferre non poſſet. & inſolēs uerbum Gellio lib. 1. cap. 10. eſt quo Latini non utuntur. Orationem.) dicendi materiam. Aucupes.) tranſlatitiè ponitur, ut ſit artificio quodam & ſolertia quid quærere & captare. Floſculos.) locos plauſibiles & iucundos, eoſdémque communes. Carpam.) eligā, aſſumam. Carpere, eſt molliter decerpere, à floribus ductum.

Delibem.) decerpam, & quaſi deguſtem, ac libando minuam. Hinc Iureconſ. legata, delibationes, hoc eſt, hæreditatum imminutiones dicuntur, & Cic. in Cat. Maior. ſcribit nos omnes ex uniuerſa mente diuina delibatos animos habere. Aduocatio.) Hoc meum patrocinium in Sextij cauſa. Liu. lib. 3. Decad. 1. aduocationem dixit pro cohorte ac multitudine patronorum & amicorū, qui alicui in iudicio adeſſent. Virginius ſordidatus, filiam ſecū obſoleta ueſte, comitantibus aliquot matronis cum ingēti aduocatione in forum adducit.

Conuentus.) hominum in iudiciis. Iuuentuti.) tradendam, ne

facilè

facilè capiatur quorundam popularium leuitate. Eos.) ut Clodianos, Catilinæ gregales factioſos, & populares homines. Intimos.) reconditos, quis populi ſit ſenſus ac iudicium de popularibus hominibus in ipſis conſeßibus theatralibus & ſcenicis.

Quid fuit illud, quod recenti nuncio de illo S. C. *quod factum eſt in templo* Virtutis *ad ludos, ſcenámque perlato, cõſeſſu maximo, ſummus artifex, & mehercule ſemper partium in* Rep. *tãquam in ſcena optimarum, flens & recenti lætitia, & miſto dolore ac deſiderio mei, egit apertè multò grauioribus uerbis meam cauſam, quàm egomet de me agere potuiſſem? ſummi enim poetæ ingenium non ſolùm arte ſua, ſed etiam dolore exprimebat.*

Quàm enim certo animo, qui R.P. *adiuuerit, ſteterit cũ* Achiuis: *uobiſcum me ſtetiſſe dicebat, ueſtros ordines demonſtrabat, reuocabatur ab uniuerſis.*

Re *dubia nec dubitarit uitam offerre, nec capiti pepercerit.* Hæc *quantis ab illo clamoribus agebantur? cùm iam omiſſo geſtu, uerbis poetæ, & ſtudio actoris, & expectationi poetæ plauderetur:*

S *ummum amicum ſummo in bello.*

Nam *illud ipſe actor adiũgebat amico animo, & fortaßis homines propter aliquod deſiderium approbabant:*

S *ummo ingenio præditum.*

Tum *illa quanto cum gemitu populi* Rom. *ab eodem paulò poſt in eadem fabula ſunt acta?*

O *mater.*

Me, me ille abſentem, ut patrem, deplorãdum putarat, quẽ Q. Catulus, *quem multi alij ſæpe in* Senatu *patrẽ patriæ nominarãt: quanto cum fletu, de illis noſtris incendiis ac ruinis, cùm patrem pulſum, patriã afflictam deplora-*

ret, domum incenſam euerſamque? ſic egit, ut demonſtrata priſtina fortuna, cum ſe conuertiſſet,

Hæc omnia uidi inflammari,

fletum etiam inimicis atq; inuidis excitaret. Prò dij im*mortales, quid illa, quemadmodum dixit idem? quæ mihi quidem ita & acta & ſcripta uidentur eſſe, ut uel à Catulo, ſi reuixiſſet, præclare poſſe dici uiderentur (is enim libere reprehendere, & accuſare populi nonnunquam temeritatem ſolebat, aut errorem* Senatus.)

O ingratifici Argiui, inanes Graij, immemores beneficij.

Non erat *illud quidem uerũ. non enim ingrati, ſed miſeri, quibus reddere ſalutem à quo acceperant, non liceret: nec unus in quẽquam unquam gratior, quàm in me uniuerſi. ſed tamẽ illud ſcripſit diſertiſſimus poeta pro me: egit fortiſſimus actor, nõ ſolùm optimus de me, cùm omnes ordines demonſtraret,* Senatum, Equites Rom. *uniuerſum populum* Rom. *accuſaret,*

Exulare ſinitis, ſiuiſtis pelli, pulſum patimini.

Quæ tamen ſignificatio fuerit omnium, quæ declaratio uoluntatis ab uniuerſo populo Rom. *in cauſa hominis nõ popularis, equidem audiebam: exiſtimare facilius poſſunt, qui adfuerunt.*

Sũmus artifex.) Aeſopus Tragœdus Ciceroni familiaris, de quo Val. Max. lib. 8. cap. 10. Partium optimarũ.) optimatiũ, primarũ, ex bonorum ciuium numero ſemper fuit. In Rep. ut in fabula aliqua ſeu comœdia, primæ, ſecundæ, tertiæ partes ſunt, nec omnes in ea eũdem locum tenent. Recenti lætitia.) ob recitatum de me in ludis illis ſcenicis. S. C. Egit.) ſimulato quodam fabulæ argumento.

Arte ſua.) ſcenica ac ludicra. Dolore.) affectu ipſo. Quàm enim.) tumultuaria quædam, ſeu truncata Aeſopi dicta recitat: neque

que uerò mihi ſatis placet Pariſienſis codicis lectio, in quo ſic legitur, Qua enim qui R.P. certo animo, &c. Qui.) nempe ego ipſe qui Remp. tutatus ſum. Achiuis.) cùm uobis omnibus Reip. ſtudioſis: ut per Achiuos optimates intelligat, ſic enim ſubiungit. uobiſcũ me ſtetiſſe dicebat, &c. id eſt, Remp. defendiſſe. Ordines.) maximè Senatorium & Equeſtrem, qui mihi Remp. defendenti ſemper adfuerunt. Orat. pro dom. & poſt red. in Sen. Reuocabatur.) Aeſopus, ut eadem de me ſæpe diceret. Re dubia.) in omnibus libris & manu ſcriptis, & impreſſis, ante legebatur, Re dubia, ut dubitari iam offerre, nec capiti pepercit: nos uerè, ni fallor, correximus. Vitã, offerre.) ut qui me fortunáſque meas pro ueſtra incolumitate, otio concordiáque ciuium deuouerim. Orat. poſt red. ad Quirit. & Orat. antequã iret in exil. Capiti pepercerit.) Cic. Orat. pro dom. Ego reſpondere ſoleo, meis conſiliis, periculis, laboribus patriam eſſe cõſeruatam. Clamoribus.) populi, cùm populus acclamaret, cuius è ſibilis odium, è plauſu & acclamatione beneuolentiam perſpicimus.

Geſtu.) apto motu corporis, quo maximè populus commoueri ſolet. Cic. lib. 3. de Orat. ad Q. frat. Expectationi.) ſpei, quam de noſtro reditu conceperat. al. expectationi noſtræ, id eſt, quam de reditu in patriam conceperamus. Orat. poſt red. in Sen. Sed cùm uiderẽ me non diutius, &c. ſed non ita placet hæc lectio, ut prior. Summum amicum.) Reip. Summo in bello.) quod Catilina aduerſus patriã concitarat. Orat. 2. in Catil. Nam illud.) in aliis cod. Nã & illud. Adiungebat.) adiiciebat, præter ipſius auctoris ac poetæ uerba. Sũmo ingenio.) At ſe ingenioſum eſſe negat Cicero (ne arrogãs uideatur) 1. quæſt. Tuſcul. & Orat. pro L. Mur. Fatebor enim Cato, me quoque in adoleſcentia diffiſum ingenio meo quæſiſſe adiumẽta doctrinæ. O mater.) Verba Polydori apud Enniũ in Hecuba, quæ à Cicer. citantur. 3. quæſt. Tuſcul. Hiſtoria eſt apud Virg. 3. Aeneid.

Fortè fuit iuxta tumulus, &c.

Q. Catulus.) filius homo ſapientiſſimus, ac ciuis optimus. Orat. poſt red. in Sen. Patrem patriæ nominarant.) Cic. Orat. in L. Piſ. Me Q. Catulus princeps huius ordinis, & auctor publici conſilij frequẽtiſſimo Senatu parentem patriæ nominauit. Domum incenſam.) pro qua extat Oratio ad Põtifices, & epiſt. Auere te certo ſcio, tum.

ſcire quid hic agatur.lib.4.epiſt. ad Att. Afflictam.) Orat.pro Cn.Plan.Quis enim ſtatus,quod diſcrimen? Fortuna.) qua florẽtiſſima ante diſceſſum utebamur,epiſt.Acta quæ eſſent lib.3.epiſt. ad Att.cùm Reip.clauum teneremus,epiſt.15.lib.9.Epiſt.famil.& regnare exiſtimaremur. epiſt.25.lib.7.Famil. Hæc omnia.) & hæc quoque ex Hecuba Ennij extant apud Ciceronem 3.quæſt.Tuſcul. Catulo.) patre,qui Mariano bello periit. Cicer.lib.3.de Nat. deor. Liberè reprehendere.) ſicuti apud Ciceronem in Cat. Ma. Appius Clodius cæcus liberè Senatum reprehẽdit bello Epeirotico:

Quo uobis mentes,rectæ quæ ſtare ſolebant
Anteà?dementi ſeſe flexêre ruina.

Inanes.) Leues Græci,imprudẽtes,illiterati.Orat.pro Flac. Nõ erat.) Hoc dicit,ne quem offendat: magnum enim eſt ingratitudinis ſcelus,ait Cic.pro Plàn.atque illud carmen ita interpretatur, ut neque actorem ipſum mẽdacij,neque populum Rom. ingratitudinis arguat. Ingrati.) quod eſt uoluntatis,ut,miſeri,caſus & fortunæ.

Quibus reddere.) mihi patriæ cõſeruatori afflicto,& iacenti adeſſe. Acceperant.) cùm Reſp.meis conſiliis ſeruata ſit. Orat. poſt red.ad Quirit.& Orat.pro dom.Mihi uni in hac Rep. audiente populo Rom.opera mea hanc urbem,& hanc Remp.eſſe ſaluam,iurato dicere fas fuit. Non liceret.) per Conſules Gabinium & Piſonem,& Tribunum pleb.Clodium. Actor.) Aeſopus.& non ſolum,pro nedũ dixit. Quæ ſignificatio declaratio uoluntatis.) quippe omnes omnium ordinum ac ætatum ciues de mea tanquam de ciuitatis ſalute ſuffragium tulerint.Orat.pro dom.& Orat.poſt red.ad Quirit.Nam cùm in ipſo beneficio ueſtro,&c. Hominis non popularis.) mei ipſius optimatis.non eſt quod toties moneam nihil ſani aut integri eſſe in codice Aldino.

Et quoniam me huc prouexit oratio, hiſtrio caſum meũ toties collachrymauit, cùm ita dolenter ageret cauſam meam, ut uox eius illa præclara lachrymis impediretur. Neque poetæ, quorum ego ſemper ingenia dilexi, tempori meo defuerunt: eáque populus Rom.non ſolùm plauſu,

ſed

ſed etiam gemitu ſuo comprobauit. Vtrum igitur hæc Aeſopum *potius pro me,aut* Accium *dicere oportuit, ſi* P. R. *liber eſſet: an principes ciuitatis?*Nominatim *ſum appellatus in* Bruto, Tullius,*qui libertatẽ ciuibus ſtabiliuerat: milies reuocatum eſt.*Parúm *ne uidebatur,* Pop.Rom. *iudicare id à me, & à* Senatu *eſſe conſtitutum,quod perditi ciues ſublatum per nos criminabantur?* Maximum *uerò* P.R.*iudicium uniuerſo conſeſſu gladiatorio declaratũ eſt: erat enim munus* Scipionis,*dignum & eo ipſo,& illo* Q. Metello *cui dabatur.*Id *autem ſpectaculi genus erat, quod omni frequẽtia atque omni genere hominum celebratur, quo multitudo maximè delectatur: in hunc conſeſſum* P. Sextius Tribunus *pleb. cùm ageret nihil aliud in eo magiſtratu,niſi meam cauſam,uenit,& ſe populo dedit, non plauſus cupiditate,ſed ut ipſi inimici noſtri uoluntatem uniuerſi populi uiderent. uenit(ut ſcitis) ad columnã* Meniam *: tantus eſt ex omnibus ſpectaculis uſque à* Capitolio,*tantus ex fori cancellis plauſus excitatus,ut nunquam maior conſenſio, aut apertior populi* Rom. *uniuerſi fuiſſe ulla in cauſa diceretur.* Vbi *erant tum illi concionum moderatores, legum domini,ciuium expulſores? aliús ne eſt aliquis improbis ciuibus peculiaris populus,cui nos offenſi inuiſíque fuerimus?* Equidem *exiſtimo nullum tempus eſſe frequentioris populi,quàm illud gladiatorium : neque concionis ullius,neque uerò ullorum comitiorum.*

Impediretur.) quæ alioqui & firma,& concitata erat.

Ingenia dilexi.) quòd quaſi deorum aliquo dono, atque munere commendati nobis eſſe uideantur.Orat.pro Arch.poet. Atqui ſic à ſummis hominibus,&c.Plat.3.de legib.poetarum genus diuinũ fa-

cit: θεῖον γὰρ ὂν δὴ καὶ τὸ ποιητικὸν ἐνθεαστικόν, &c. & ſacros poetas dicit Ouid. lib. 3. De arte amandi:

Quid petitur ſacris, niſi tantùm fama poetis?
Hoc uotum noſtri ſumma laboris habet.

Eos tamen Plato aliquando Rep. expulit, ſicuti nec Philippus imperator ulla eos immunitatis prærogatiua iuuari uoluit. Tit. de profeſſ. & medicis lib. 10 cod. Iuſtiniani. De his plura ſcribit D. Auguſt. lib. 2. de ciuitate Dei. cap. 14. Tempori adfuerũt.) meæ ſaluti adfuerunt, meam cauſam comprobauerunt. Gemitu.) publico, mutata ueſte. dix. Vtrũ igitur.) Principes, quæ ab hiſtrione uerißimè dicta ſunt, de Cicerone dicere debuiſſe. de Accio poeta. In Bruto.) Togata fabula, in qua, ni fallor, Seruius Tullius 6. Rom. Rex, à quo originẽ traxit Cicero, à L. Tarquinio interfectus, appellabatur, ut id de M. Tullio Cicerone miſerè à Clodianis exagitato, exterminatóque intelligi, aut dici poſſe uideatur, quem abſentem omnes deſiderabant. Denique ut ea in fabula L. Iunius Brutus profligato, eiectóque Tarquinio populi Rom. libertatẽ ſtabiliuit, ita & Cicero cõiuratoribus oppreßis. Reuocatum.) à populo repetitũ, uel dicas reuocatum fuiſſe à populo actorem Aeſopum, qui hæc eadem ſæpe diceret, nempe me cuſtodem libertatis fuiſſe. Id.) nempe libertatem populi, per me ac Senatũ conſeruatam, ac egregie retentam. Conſeſſu.) illo in Ludo, munereque gladiatorio, quod populo dabatur à Scipione in honorem Q. Metelli Celeris demortui. Imperator Conſtantinus hæc cruẽta ſpectacula ſuſtulit. L. una. De gladiatoribus lib. 11. cod. Iuſtin. Scripſit de gladiatorũ origine Iulius Capitolinus. D. Iunius Brutus munus gladiatorium in honorem defuncti patris primus dedit. Flor. lib. 16. Omni generi hominum.) non conductorũ tantum, ſed & uoluntaria ac gratuita opera pugnantium. Liu. lib. 8. Decad. 3. Meam cauſam.) ut me omnibus rebus quibus potuit, defenderit: & meæ calamitatis non adiutor ſolùm, uerum etiam ſocius fuerit. Orat. poſt red. in Sen. Dedit.) cõmiſit. Voluntatem uniuerſi.) in me reuocando. Cic. Orat. poſt red. in Sen. Non multò poſt diſceſſum meũ uniuerſi me reuocaſtis, &c. Columnam Meniã.) quæ in foro erat, ubi gladiatorij ludi dabãtur. de qua Aſcon. & Budæus ſcripſerunt, hanc Menius ſuas ædes, cùm uenderet Catoni & Flacco

Flacco Cēſoribus ſibi ac ſuæ poſteritati ad ludorum ſpectationem reſeruauit. Ex omnibus ſpec.) ex omnibus partibus theatri. Cācellos appellamus, ſepta ex ferro, in modum retis facta. Gal. Treillis. Cancellos ſibi circūdare dicit Cic. Orat. pro Quint. & 5. act. in Verr.

Tum illi.) Clodiani, qui pro ſua libidine conciones moderabātur, quas uolebant, habebant. leges item quas uolebant abrogatis cæteris, ſummo Reip. malo ferebant. Expulſores.) mei ipſius, Catonis, Lamiæ. Concionis ullius.) frequentioris. Comitiorum.) ſiue ea ad ferendas leges, ſiue ad magiſtratus creandos haberentur.

Hæc igitur innumerabilis hominū multitudo, hæc Pop. Rom. *tanta ſignificatio, ſine ulla uarietate uniuerſi, cū illis ipſis diebus de me actū iri putaretur: quid declarauit, niſi optimorum ciuium ſalutē, & dignitatem* Pop. Rom. *charam eſſe uniuerſo? At uerò ille* Tribunus *pleb. qui de me nō patris, aui, proaui, maiorum denique ſuorum omnium, ſed Græculorum inſtituto, concionem interrogare ſolebat, uellétne me redire? & cùm erat reclamatum ſemiuiuis mercenariorum uocibus,* P.R. *negare dicebat: is cum quotidie gladiatores ſpectaret, nunquam eſt conſpectus: cùm ueniret, immergebat ſubitò, cùm ſub tabulas ſubrepſerat: ut,* Mater te appello, *dicturus uideretur.* Itaq; *illa uia latebroſa, qua ſpectatum ille ueniebat,* Appia *iam uocabatur. Qui tamen quoquo tempore conſpectus erat, non modò gladiatores, ſed equi ipſi gladiatorum repentinis ſibilis extimeſcebant.* Videtisne *igitur quantum inter* P.R. *& concionem interſit?* Dominos *concionum omni odio populi notari? Quibus autem conſiſtere in operarum concionibus nō liceat, eos omni* Pop. Rom. *ſignificatione decorari? Tu mihi etiam* M. Attilium Regulum *commemoras, qui redire ipſe Carthaginem ſua uoluntate ad ſupplicium, quàm ſine his*

captiuis, à quibus ad Senatum miſſus erat, Romæ manere maluerit? & mihi negas optandum reditum fuiſſe? Per familias comparatas, & homines armatos uim ego ſcilicet, ego deſideraui? qui dum uis fuit, nihil egi: & quem ſi uis non fuiſſet, nulla res labefactare potuiſſet. Hunc ego reditum repudiarem? qui ita florens fuit, ut uerear, ne quis me ſtudio gloriæ putet idcirco exiſſe, ut ita redirem: quẽ enim unquã Senatus ciuem, niſi me, nationibus exteris cõmendauit? Cuius unquam propter ſalutem, niſi meã, Senatus publice ſociis Pop. Rom. gratias egit? de me uno P. C. decreuerunt, ut qui prouincias cũ imperio obtinerẽt, qui Quæſtores legatique eſſent, ſalutẽ & uitã meam cuſtodirent.

Varietate.) diſſenſione, diuerſarum ſententiarum concertatione. Orat. poſt red. in Sen. En ego tot teſtimoniis, tanto ſtudio bonorum, &c. Vniuerſi.) totius populi. Ipſis diebus.) quibus ludi gladiatorij populo dabantur. Actum iri.) de me reuocando, & auctore ſalutis ac relationis meæ dando. Orat. in L. Piſ. qui ſcilicet contra caput legis Clodiæ de me referre auderet. epiſt. Accepi Idib. Sext. lib. 3. Epiſt. ad Att. Patris.) ciuis egregij & optimi. Orat. pro dom. meorum nonnulli, per auum C. Clodium pulchrũ, per proauum, Appium Clodium Cæcum intelligi monuerunt: eorum ego iudicium ſequar, donec alius uerius quid edoceat. Græculorum.) leuiſsimorũ hominum: ad contemptum dicit, ut ſæpe Orat. poſt red. in Sen. & Orat. in L. Piſ. Vellétne.) populus Romanus. ° Semiuiuis mercenariorum.) dubiis ac meticuloſis Clodianorũ uocibus, cùm illis uerus populus ſummè aduerſaretur. Immergebat.) penitus latitabat, ſeq́ue in ipſa turba ita occultabat, ut à quoquã uideri non poſſet. ductum ab iis, qui aquis obruuntur, nullum ut eorum extet ueſtigium. Cic. Orat. pro Cluent. blanditiis & aſſentationibus in Aſinij cõſuetudinem ſe penitus immerſit, hoc eſt, familiariſsimus Aſinio fuit.

Tabulas.) theatri aut ſpectaculi tabulata. Et, Subrepere, eſt latenter & occultè repere. Galli, Se couler en la compagnie, de peur qu'on

qu'on ne ſoit ueu. Subrepit animo res aliqua, cùm in animum demittitur. Fab. lib. 4. cap. 1. Inſtitut. orat. Mater te appello.) Faceta cõparatio, quaſi Clodius ob metum, mortui perſonã acturus eſſet. Sunt enim uerba Polydori celebrata in fabulis, maximè uerò in Hecuba Euripidis, quam ab Ennio uetere poeta eodem penè argumento conſcriptam, ac ueluti latinitate donatam facilè ex uariis apud Ciceronẽ locis colligas. Ille.) Clodius. Latebroſa.) occulta, tenebricoſa, & à cæteris diſtincta, ſeparatáque. Appia.) ἀρωνικῶς: Alludit ad Appiam uiam, quam App. Clodius Cæcus gẽtilis Clodij à porta Capena, Capuam uſque ſtrauerat. Ful. Sabin. lib. 3. & lib. 4. Antiq. urb. & Cic. Orat. pro M. Cæl. P. R.) uerum & incorruptum, id eſt, optimates. Concionem.) Clodij conductã ex egentibus hominibus conflatam. Dominos concionũ.) codex Germanicus legit, & dominos concionum: anteà dixit concionũ moderatores. Et notari, dixit pro infenſos eſſe populo & inuiſos, uel ſignificari, cum ſibilis & conuitiis excipiuntur, aut ſi mauis, parũ probari. Quibus.) ut optimatibus. Decorum.) eos populo Rom. gratos eſſe, honorificè ab eo excipi, non ut Clodianos ſibilis eiici. Non itaque omnes qui putantur populares, uerè populares ſunt. M. Attilium.) nota hiſtoria ex Cic. lib. 3. Offic. Gell. lib. 6. cap. 4. Oroſ. cap. 8. lib. 4. Horat. lib. 3. Carminum:

Fertur pudicæ coniugis oſculum,
Paruóſque natos, ut capitis minor,
A ſe remouiſſe, & uirilem
Toruus humi poſuiſſe uultum:
Donec labenteis, &c.

A quibus.) al. de quibus. Vim deſideraui.) minimè: at potius tempeſtati ceſſi. Orat. pro dom. ne idem perditor Reip. nominarer, qui ſeruator fuiſſem. Orat. pro Cn. Plan. Nihil egi.) neque me ad reſiſtendum paraui. Labefactare potuiſſet.) in tam amplo ſtatu collocatus, in tam bona cauſa, tãtis facultatibus, ingenij, cõſilij, gratiæ, tantis præſidiis bonorum omnium fretus. epiſt. Acta quæ eſſent. lib. 3. Epiſt. ad Att. Hũc ego.) al. húncne ego reditũ. Glorioſè ac magnificè de ſe ac ſuo reditu dicit: ut & Orat. in L. Piſ. Exteris nationibus.) Orat. in L. Piſ. Me Calẽd. Ian. qui dies poſt obitũ, &c. Cõ-

mẽdauit.) ut ciuẽ Reip.cõſeruatorẽ,ead.Orat. & Orat.pro dom.An ego tantã aut animi duritiẽ.&c.de Quæſt.& Legat.antea dixim⁹.

In mea una cauſa poſt Romam *conditam factum eſt, ut literis* Cõſularibus *ex* Senatuſconſulto,*cuncta ex* Italia *omnes qui* Rẽp.*ſaluã uellent,cõuocarẽtur. Quod nunquã* Senatus *in uniuerſæ* Reipub.*periculo decreuit, id in unius mea ſalute conſeruanda decernendum putauit. Quem curia magis requiſiuit? quem forũ luxit? quem æquè ipſa tribunalia deſiderauerũt?* Omnia *diſceſſu meo deſerta, horrida,muta,plena luctus & mœroris fuerunt. Quis eſt* Italiæ *locus, in quo non fixum ſit in publicis monimentis ſtudium ſalutis meæ, teſtimonium dignitatis?* Nam *quid ego illa de me diuina* Senatuſconſulta *commemorem? uel quod in templo* Iouis Opt.Max.*factum eſt, cùm uir is qui tripertitas orbis terrarum oras atque regiones tribus triumphis adiunctas huic imperio notauit,de ſcripto ſentẽtia dicta,mihi uni teſtimonium patriæ conſeruatæ dedit: cuius ſententiam ita frequẽtiſſimus* Senatus *ſecutus eſt,ut unus diſſentiret hoſtis,ídque ipſum tabulis publicis mandaretur ad memoriam poſteri temporis ſempiternam.* Vel *quod eſt poſtridie decretũ in curia populi ipſius* Rom. *& eorũ qui ex municipiis conuenerant,admonitu,ne quis de cælo ſeruaret, ne quis moram afferret: ſi quis aliter feciſſet, eum planè euerſorem* R.P.*fore,ídque* Senatum *grauiſſimè laturum, & ut ſtatim de eius odio referretur. Qua grauitate ſua,cùm frequens* Senatus *nonnullorum ſcelus audaciámque tardaſſet,tamen illud addidit, niſi diebus quinque,quibus agi de me potuiſſet,eſſet actum,redirem in patriam dignitate omni recuperata.*

Literis Cõſularibus.) Orat.in L.Piſ.loco paulò ante citato, Veniũt Calend Ianu. &c. Senatuſconſulto.) Cic. Orat. poſt red.in Sen. Quid magnificentius, quid præclarius mihi accidere potuit, &c.

Saluam uellent.) ut ſatis eſſet argumenti eum ciuem Remp. incolumem eſſe nolle, qui me non defenderet. ead. Orat.in Sen. Forũ.) in quo regnabat Cicero, ut ipſemet teſtatur lib.7.Epiſt.famil. & Orat.pro Cn.Plan.ait omnem ſuam gloriam Romæ quidem partã eſſe, ſed in foro quæſitam. hunc locũ Cicero explicat Orat.poſt red.in Sen. Itaque poſtea nihil uos ciuibus, nihil ſociis, &c. & Interrogat. Vat. Nemo humanitatem meam, nemo conſuetudinem, &c. Tribunalia.) omnium iudicum ordines, maiorum tamen: minorum enim ſubſellia fuiſſe ex Aſconio anteà docuimus, ut mirer pleroſq; interpretes iuris ciuilis, maximè Italos, hoc non uidiſſe in L.1. de Iudiciis lib. 5.D. Horrida.) uaſta. Plena luctus.) cùm omnes boni abditi, incluſique mœrerent, tẽpla gemerent, tecta ipſa urbis lugerent. Orat. in Piſ. Studium ſalutis.) cùm omnes mihi ſalutem, incolumitatẽ, reditum precarentur. ead. Orat.in Piſ. Nam quid illa S.C.) Cic. Interrogat.Vat. Sed nihil ſit factum mea cauſa: omnia illa S.C. populi iuſſa, &c. Porrò omnibus S.C. cùm ſcribebantur, hoc præfigi ſolitum erat, Senatus auctoritas. epiſt. quadam Cælij ad Ciceronẽ, cuius initiũ eſt, Etſi de Republica. lib.8.Epiſt.fam. Vir is.) Cn.Põpeius Magnus. Tribus triumphis.) Hiſpaniẽſi, Mithridatico, & Piratico. Plutarch. Notauit.) ſignum & notam indidit, iniecit, impreßitq; quo illæ regiones populi Rom. eſſe iudicarentur aut agnoſcerẽtur. Apud Muſæum poetam ſcriptum reperias βάλλειν σημήια. Sebus noſtris, ut facilius dignoſcãtur, notam ſignúmq; imponimus.

Secutus.) Orat.in Sen. Hodierno autẽ die nominatim à me, &c. Hoſtis.) App.Clodius prætor, P.Clodij frater. Orat.in L.Piſ. De me cùm omnes magiſtratus promulgaſſent, &c. & Orat.in Sen.

Municipiis.) atque adeò ex omnibus agris, uicis & oppidis. Orat. ead.in Sen. & in Piſ. Eæ conciones habitæ, is motus fuit municipiorum & coloniarum omnium, &c. De cælo ſeruaret.) obnuntiatione aliqua, aut religione mei reditus cõfectionẽ aut impediret, aut retardaret. Grauiſsimè laturũ) Cicero, Orat.poſt red.in Sen. Ad hæc non modò adiumentũ ſalutis, ſed etiã ornamenta dignitatis meæ

reliqua,&c. & Orat.in L.Piſ.De me Senatus ita decreuit Cn.Pōp. auctore,&c. Nonnullorum.) ut App.Clodij,& cæterorum Clodianorum. Agi.) per leges: inſtabant enim dies comitiales,quibus cum populo agi nō licet, ait Macrob.lib.1.Saturnal.Cic.epiſt. Auere te certo ſcio.lib.4. Epiſt.ad Att. Redirem.) etiā nulla lege lata: decreto tamen Senatus ac populi iuſſu.Orat.poſt red.in Sen.

Decreuit eodem tempore Senat*us,ut iis qui ex tota* Ita*lia ſalutis meæ cauſa conuenerant, agerentur gratiæ:atque ut iidem ad res redeuntes,ut ad diem rogationis uenirent,rogarentur.hac erat ſtudiorum in mea ſalute contētio: ut hi qui à* Senat*u de me rogabantur, iidem* Senat*ui pro me ſupplicarent.* Atque *ita in his rebus unus eſt ſolus inuentus,qui ab hac tam impenſa uolūtate bonorum pa'làm diſsideret:ut etiam* Q. Metell*us* Cos.*qui mihi uel maximè ex magnis contentionibus* Reip.*fuiſſet inimicus, de mea ſalute retulerit:qui excitatus ſumma cum auctoritate* P. Seruil*ij, quadam grauitate dicendi, cùm ille omnes prope ab inferis euocaſſet* Metellos*, & ad illius generis, quod ſibi cum eo commune eſſet,dignitatem propinqui ſui mētem à* Clodian*is latrociniis deflexiſſet: cúmque eum ad domeſtici exempli memoriam, & ad unum dicto citius* Metelli *caſum,uel glorioſum,uel grauem conuertiſſet, collachrymauit,ut uir egregius,ac uerè* Metell*us, totúmque ſe* P.Seruil*io dicenti, etiam tum tradidit, nec illā diuinam grauitatem,plenam antiquitatis, diutius homo eiuſdē ſanguinis potuit ſuſtinere: & mecum abſens beneficio rediit in gratiam.*Q*uod certè,ſi eſt alioqui ſenſus in morte præclarorum uirorū,cùm omnibus* Metell*is, tum uerò uni uiro fortiſsimo & præſtātiſsimo ciui gratiſsimum fratri ſuo fecit,ſocio laborum,periculorum,cōſiliorum meorum.* Re*ditus*

ditus uero meus qui fuerit, quis ignorat? quemadmodum mihi aduenienti tanquam totius Italiæ, *atque ipſius patriæ dexteram porrexerint* Brūduſini? *cū ipſis* Nonis Sextilibus *idem dies aduentus mei fuiſſet, qui reditus natalis: idem chariſsimæ filiæ, quam ex grauiſsimo tum primum deſiderio luctúque conſpexi: idem etiā ipſius coloniæ* Brūduſinæ, *idem, ut ſcitis: cúmque me domus eadem optimorū & doctiſsimorum uirorum* L. Flacci, *& patris, & fratris eius lætiſsima accepiſſet, quæ proximo anno mærens receperat, & ſuo præſidio periculóque defenderat: cúmq; itinere toto urbes* Italiæ *feſtos dies agerēt aduentus mei, uiæ multitudine legatorum undique miſſorum celebrabātur: ad urbem acceſſus incredibili hominū multitudine & gratulatione florebat: iter à porta, in* Capitoliū *aſcēſus, domū reditus erat eiuſmodi, ut ſumma in lætitia illud dolerē, ciuitatem tam gratā, tam miſerā atque oppreſsam fuiſſe.*

Conuenerant.) tāquam ſigno aliquo dato. Orat. in L. Piſ. mihi ut reditum conficerent. Atque ut iidem.) nos hunc locum ſanum fecimus, quem contaminatum & maculoſum omnes codices habebant. & Res, dixit, hoc eſt, negotia, commercia. Itaque rogabantur à Senatu, ut rurſum uenirent, ad conficiendū mihi ſuis ſuffragiis & conſenſu reditum, ſi fortè à Clodianis impediretur: itaque ſtellulam tollas. Supplicarent.) Cic. Orat. poſt red. ad Quirit. Me nudum à propinquis Italia cuncta ſemper à uobis deprecata eſt. Vnus inuētus.) Ap. Clodius Pulcher prætor. epiſt. 1. & 2. lib. 4. Epiſt. ad Att.

Magnis contentionibus.) quòd in ſuo Tribunatu aliud de Rep. ſentiret, quàm ego. Orat. in L. Piſ hinc illa in Tribunatu ſuſcepta ſimultas, de qua Cicero epiſt. 2. lib. 5. Epiſt. fam. & epiſt. Anteà cum ad me ſcripſiſſetis. lib. 3. Epiſt. ad Att. Retulerit.) ad Senatum.

Excitatus.) Hic locus explicatur à Cicerone, Orat. poſt red. in Sen. Nam Q. Metellus, & inimicus, & frater inimici, &c. P. Serui-

lij.) uiri clariſsimi, optimi, mihique amiciſsimi.ead. Orat. & Orat. de prouinc. Coſs. Genus.) Metellorum. Stirpem & originẽ genus ſignificat, gens, quaſi generum & originum quandam multitudinẽ. unde Paulus Iureconſ. hæc tanquã diuerſa poſuit, de probation. Quoties quæritur, genus uel gẽtem quis haberet, nécne, eũ probare oportet. lib. 22. D. Et, Propinquum. Q. Metellum Nepotem intellige.

Deflexiſſet.) abduxiſſet, perfeciſſet, ut à Clodiana factione & ſecta declinaret. ſic Cicero ad Atticum (quod & hoc tempore maximè quærendum eſt) inquit, iam à diuturnis laboribus deflexa eſt ad otium. Ad domeſtici exempli.) ut uirtutis maiorũ ſuorum memor eſſet. Metelli.) Q. Metelli Numidici, quem diximus noluiſſe iurare in leges Saturnini. Orat. ad Quirit. & Orat. pro Cn. Plan. Verè Metellus.) pius. Q. Metellus Numidici filius hoc habuit cognomẽ, quia precibus & lachrymis impetraſſet, ut ab exilio pater reuocaretur. inde ad poſteros hoc cognomen dimanauit. Tradidit.) ut nõ ſolùm ex eo tempore defenſor ſalutis meæ fuerit, uerumetiam adſcriptor dignitatis. Orat. poſt red. in Sen. Rediit in gratiam.) depoſita omni ſimultate in templo Iouis. Orat. de prouinc. Coſs. & epiſt. paulò ante citata, Antea cùm ad me ſcripſiſſetis. Si eſt ſenſus.) Gryphiani codicis lectio nõ placet: Quod certè, ſi eſt alicui ſenſus, &c. malo, alioqui. ſi animi perpetui ſunt, & unà cum corpore nõ pereunt. Plato in Phædone & Phædro. accedere ad eorum ſententiã uidetur Cicero, qui mortuos uiuorum caſibus, uirtute, pietate, atque adeò malitia affici putant. Ariſtotel. lib. 1. cap. 10. Ἠθικ. Νικομ. Metellus.) quorum magnum erga Ciceronem ſtudium fuit, & amor. epiſt. 1. lib. 5. Epiſt. famil. Vni uiro) Q. Metello Celeri, quem fratris loco ſemper eſſe dixi. epiſt. 3. lib. 5. Epiſt. fam. & epiſt. Non modò ſi mihi tantum. lib. 1. Epiſt. ad Att. Socio laborũ, periculorum.) qui mihi adeſſet, & mecum conſentiret, in opprimendis coniuratis, id facilè intelligi poteſt ex 2. Catil. & epiſt. 2. lib. 5. Epiſt. fam. Reditus quis fuerit.) quàm honorificus, ut non ſolùm reducti ſimus in patriam, ſed equis, inſignibus & curru aurato reportati. Orat. poſt red. in Sen. atq; hãc ſui magnifici reditus rationem, clarius multò ac fuſius explicat Cic. epiſt. 1. lib. 4. ad Att. Brunduſini.) Brunduſium in Calabria eſt, portu nobilis, & tuta olim Romanis in Græciam uia. Plin. lib. 3. cap. 11.

cap.11.Strab.lib.6. De Brũduſinorum gratulatione ſcribit Cic.epiſt. 1.lib.4.ad Att. Brunduſinæ coloniæ.) Liu.lib.7.Decad.3.Senatus quàm poterat honoratiſſimo decreto allocutus eos. &c.Flor.lib. 19.Brunduſinum ſæpe legas apud eundem Liuium. Idem,ut ſcitis.) fateamur neceſſe hîc aliquid deeſſe,niſi legamus, idem Salutis,ex epiſt.1.lib.4.epiſt.ad Att. L.Flacci.) L.Flacci Lemnij.Cicero epiſtola,Ego minus ſæpe ad uos do literas.lib.14. Epiſt. famil.In codice Aldino mendosè.M.Lenius Flaccus legitur, ut noſtri Vaſcoſani typographi doctiſſ.lectionẽ ualde probẽ. Patris.)M.Flacci Lemnij.

Proximo anno.) urbe pulſus. epiſt. Etſi diligenter ad me Quintus frater. lib.3.Epiſt. ad Att.Cn. Plancus in Macedonia Quæſtor Ciceronem recepit.Orat.pro Cn.Plan.ipſo. Periculóque.) Nam pœna eſt ei,qui exulẽ receperit.Orat.pro dom. & epiſt.miſeriæ noſtræ potius uelim.lib.3.Epiſt.ad Att. Miſſorum.) publicè mihi gratulatum.Orat.in L.Piſ. A porta.) Capena, quæ hodie porta D. Sebaſtiani dicitur. In Cap.aſcẽſus.) epiſt.1.lib.4.epiſt.ad Att. Tam gratam.) quippe quum ad me complectendum propè conuulſa ſuis ſedibus uiſa ſit.Orat.in L.Piſ. & epiſt. ad Att.paulò ante citata. Ad urbem ita ueni,ut nemo ullius ordinis, &c. Oppreſſam.) à Clodianis & Coſſ.Piſone & Gabinio.

C O G L. & cet.

Habes igitur,quod ex me quæſiſti,qui eſſent optimates. Non eſt natio,ut dixiſti.Quod ego uerbum agnoui: eſt enim illius,à quo uno maximè P.Sextius ſe oppugnari uidet:hominis eius,qui hanc nationem deleri & concidi cupiuit:qui C.Cæſarem mitem hominem,& à cæde abhorrentẽ ſæpe increpuit,ſæpe accuſauit, cùm affirmaret illum nunquam,dum hæc natio uiueret,ſine cura futurum : nihil profecit de uniuerſis,de me agere non deſtitit.Me oppugnauit primum per indicem Vectium,quem in cõcione de me,& de clariſſimis uiris interrogauit. In quo tamen eos ciues coniunxit eodem periculo & diſcrimine,ut à me inierit gratiam,quod me cum ampliſſimis & fortiſſimis ui-

ris cõgregauit. Sed poſtea mihi nullo meo merito, niſi quòd bonis placere cupiebam, omnes eſt inſidias ſceleratiſſime machinatus. Ille ad eos à quibus audiebatur, quotidie aliquid effičti afferebat: ille hominẽ mihi amiciſſimum Cn. Pomp. monebat, ut meam domum metueret, atque à meipſo caueret: ille ſe ſic cum inimico meo copularat, ut illius meæ proſcriptionis, quam adiuuabat Sext. *Clodius homo iis digniſſimus, quibuscum uiuit tot iam annos, ſeſe ſcriptorem eſſe diceret. Ille unus ordinis noſtri diſceſſu meo, luctu ueſtro palã exultauit: de quo ego, cùm quotidie rueret, uerbum feci* Iud. *nunquam: atque putaui cum omnibus machinis ac tormentis, exercitu, copiis oppugnarer, de uno ſagittario me queri conuenire. Acta mea illi diſplicere quis neſcit? qui legem eam contemnat, quæ dilucide uetat gladiatores biennio, quo quis petierit, aut petiturus ſit, dare. In quo eius temeritatem ſatis mirari* Iud. *non queo. Facit apertiſſimè contra legem, facit is qui neque elabi ex iudicio iucunditate ſua, neque emitti gratia poteſt, neque opibus & potentia leges ac iudicia perfringere.*

Habes igitur.) De optimatibus reſponſionem concludit, & deinceps inuehitur in Vatinium, qui in P. Sextium teſtimonium dixerat, ſuóque illo teſtimonio Ciceronẽ perſtrinxerat. In Vatiniũ ipſum extat Ciceronis oratio, quam interrogationẽ diximus appellari. epiſt. illa long. ad Lent. lib. 1. Epiſt. fam. Agnoui.) cuius eſſet. Illius.) Vatinij teſtis. Oppugnari.) teſtimonio. P Vatinius in P. Sextium reum de ui teſtis productus fuit. Nationem.) Optimatium: optimates ipſos, & bonos quoſque ciues. Mitem.) clementem. Cicero cauſæ ſeruit, ut & orationibus pro Marcello & Ligario: tyrannidẽ enim Cæſaris nõ probat initio lib. 2. Offic. Interrogat. Vat. Cæſari tribuit præſtantem animum, excellentem nobilitatem, gloriæ ſtudium, &c. Sine cura futurum.) quaſi perpetuos ſibi aduerſarios optimates

mates

mates Cæſar eſſet habiturus. Vniuerſis.) optimatibus, in quos Cæſarem exaſperabat, & falſa præſertim oratione acuebat. Deſtitit.) in ſuo tribunatu, quem geßit Cæſare & Bibulo Coß. Indicem Vectium.) Hũc L. Vectium Vatinius in concione produxerat, ut palàm confiteretur ſe à Cicerone & aliis primariis ciuitatis uiris ad interficiendum Pompeium collocatum fuiſſe. Plura de Vectio ſcribit Cic. Interrogat. Vat. quem & ſuum indicem Cicero appellat, epiſt. Quas Numeſtio literas. lib. 2. epiſt. ad Att. puto, quod eius opera in detegẽda Catilinæ coniuratione uſus eſſet. Dion. lib. 37. Sed & eum quoque Cæſaris indicem facit Trãquillus, in Cæſ. Tribunis pleb. licebat, quem uellent in concionẽ abreptum interrogare, qua de re ipſi uellẽt.

A me inierit gratiam.) rem certè pergratam mihi fecerit, ob id mihi gratus ſit & acceptus. A quibus audiebatur.) ut à Cæſare, Hortenſio, Arrio. Inimico meo.) P. Clodio. Proſcriptionis.) legis Clodianæ, qua mea bona proſcripta, ut eſſent, uoluit. Cic. Orat. pro dom. Proſcriptionis miſerrimum nomen illud, & omnis acerbitas, &c. Sext. Clodius.) anteà Chœlius, nos ex orat. Ciceronis pro dom. quartum abhinc annum, Clodius correximus. ſcriptor is fuit legum Clodianarum. Ordinis noſtri.) Equeſtris. Ciceronem Equeſtri loco natum fuiſſe ſæpe monui: ut eos falli putem, qui de Senatorio ordine intelligunt. Rueret.) magna ui ac impetu in me præceps ferretur: hæc genuina eſt uerbi huius ſignificatio. Virg. de uentorum impetu, lib. 1. Aeneid. ſic ſcribit:

Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.

Verbum feci.) nunquam ſum conqueſtus. Tormentis, exercitu.) hoc eſt, omni ui adhibita. iucũdæ metaphoræ à rebus bellicis ductæ.

Sagittario.) Vatinio homine imbelli: neque enim ſagittarij impetum pugnæ facilè ſuſtinent, & loco facilè mouentur: quos tamen ait Liu. eſſe formidandos, lib. 5. Decad. 4. In Achaia legatis Antiochi Aetolorúmque. &c. Acta mea.) Vide, num ex ingenio fœliciſſimè hunc locum emẽdarim, cùm anteà legeretur. Ac tam ea ſibi alij diſplicere, quis neſcit? Eam legem.) meam, ſcilicet, quam ipſe de Ambitu tuli in Conſulatu. Cic. Orat. in Vat. Cũ mea lex dilucide uetet biennio, quo quis, &c. Aedilis enim erat Vatinius hoc anno, & gladiatores dabat, quò ſibi ad magiſtratũ ampliorẽ uiam ſterneret.

Iucunditate ſua.) ſuo illo munere gladiatorio, quod iucūdum populo fore ſperabat, ut Ambitus iudiciū minimè poſtea ſibi formidādum putaret. Emitti gratia.) ut qui homo ſit offenſus, ac inuiſus multis. Iudicia perfringere.) ergo hærebit in laqueis legum. Iſtud uerò potentum eſt leges perfringere: ut uerißimè dixerit Zaleucus Locrenſium legiſlator, leges ipſis aranearum telis eſſe ſimiles. ἐὰν μὲν γὰρ, inquit, ἐμπέσῃ μυῖα ἢ κώνωψ, κατέχεται· ἐὰν δὲ σφὴξ ἢ μέλιττα, διαῤῥήξασα ἀφίπταται· οὕτω καὶ ὧδε τοὺς νόμους. ſi muſca aut culex inciderit, retinetur: at ſi ueſpa, aut apes, diſrupta fractáq; tela auolant: ita etiam ſe res habet in legibus.

Quæ res hominem impellit, ut ſit tam intemperās? iſta nimia gloriæ cupiditate familiam gladiatoriam credo nactus eſt ſpecioſam, nobilem, glorioſam: norat ſtudia populi, uidebat clamores & concurſus futuros. Hac *expectatione elatus homo flagrans cupiditate gloriæ, tenere ſe non potuit, quin hos gladiatores induceret, quorum eſſet ipſe pulcherrimus.* Si *ob eam cauſam peccaret, & pro recenti* Pop. Rom. *in ſe beneficio, populari ſtudio elatus, tamen ignoſceret nemo. Cùm uerò ne de uenalibus quidem homines electos, ſed ex ergaſtulis emptos nominibus gladiatoriis ornarit, & ſortitò alios* Samnites, *alios prouocatores fecerit: tanta licentia, tanta legū contemptio, ne non habitura ſit exitū, non pertimeſcit? Sed habet defenſiones duas: primum,* Do, *inquit, beſtiarios: lex eſt ſcripta de gladiatoribus.* Feſtiuè. Accipite *aliquid etiam acutius.* Dicet *ſe non gladiatores, ſed unum gladiatorem dare: & totam* Aedilitatē *in munus hoc tranſtuliſſe.* Præclara Aedilitas, *unus leo, ducenti beſtiarij.* Verum *utatur hac defenſione: cupio enim ſuæ cauſæ cōfidere.* Solet *enim* Tribunos *pleb. appellare, & ui iudicium diſturbare, cùm diffidit. quem non*

tam admiror, quòd meam legem contemnat, hominis inimici, quàm quòd ſe ſtatuit omnino Conſularem legẽ nullam putare. Aciliam, Didiam, Liciniam, Iuniam *contempſit: etiám ne eius quem ſua lege, & ſuo beneficio, ornatũ, munitum, armatum ſolet gloriari,* C. *Cæſaris legem de pecuniis repetundis non putat eſſe legem? & aiunt alios eſſe, qui acta* Cæſaris *reſcindant, cùm hæc optima lex, & ab illo ſocero eius, & ab hoc aſſecla negligatur?* Et *cohortari auſus eſt accuſator in hac cauſa uos,* Iudices, *ut aliquando eſſetis ſeueri, aliquando medicinam adhiberetis* Reipublicæ. Non *ea eſt medicina, cùm ſanæ parti corporis ſcalpellũ adhibetur, atque integræ: carnificina eſt iſta, & crudelitas.* Hi *medentur* Reipub. *qui execant peſtem aliquam, tanquam ſtrumam ciuitatis.*

Intemperans.) præſidens, inſolens: qui dictis & factis modum nullum adhibeat, omnia ſibi licere putet. Nimis iracunde, & ualde intemperanter loqueris, ait Cicero. ἀκρατής. *Nobilem.) pugnis & uictoriis. Studia populi.) uoluntatem. Gall. Les affectiõs & deſirs.* εἰρωνικῶς *autem hæc omnia dicuntur à Cicerone. Concurſus futuros.) ſi talem familiam produceret. Pulcherrimus.) urbane, iocatur in ſtrumam Vatinij, de qua mox dicemus, & ſtrumoſi hominis deformitatem ridet. Ob eam cauſam peccaret.) quòd tempore legibus interdicto gladiatores daret. Beneficio.) Aedilitate tandem conſecuta, à qua repulſam bis paſſus fuerat, parum gratus populo, ut in prouerbium ceſſerit, odium Vatinianum. Catullus, ad Caluum Licinium oratorem: — munere iſto.*

O diſſem te odio Vatiniano.

Ignoſceret nemo.) cùm tam intemperanter ac inuidioſè ſe gereret. Venalibus.) gladiatorum familiis, quæ munerariis uendebantur. Ergaſtulis.) id eſt, ſeruos à dominis ob ſcelus aliquod in uincula coniectos, uel à dominis ipſis ad opus aliquod relegatos, concathenatos tamen, ne fugam pararẽt: illiberale igitur fuit Vatinij mu-

nus.Cæterùm exiſtimarim à Zenone imperat.eos dici ergaſteriis adhærere.L. Si cohortalis apparitor .Tit.de cohortalibus & principibus,&c.lib.12.Cod.qui aliquid operæ mechanicæ,aut exhibent ipſi, aut oſtentãt, & uenale proponunt,ut omnes negotiatores nõ improbet:ἐργαστήριον enim Græce dicitur officina fabrorũ,& quorũcũque opificum,quos mechanicos uerbo item Græco appellamus. Samnites.) omnino ſunt nomina,qualia ſunt illa Philipp.13.Barbæ Caßij, Barbatij,Polliones,Saxæ,Lentones,Caphones.& epiſt. Itane uerò? Hoc meus & tuus Brutus.lib.14.Epiſt.ad Att. Baßi, Scænæ,Frãgones. Licentia.) in mala re dici ſolet:ea eſt immoderata ac diſſoluta libertas. Non pertimeſcit.) ut meo quidem iudicio uerißimè Cicero ſcripſit lib.2.de legib. Sceleris eſt pœna triſtis, & præter eos euentus qui ſequuntur, per ſe ipſa maxima eſt. Beſtiarios.) gladiatores erãt,qui aduerſus beſtias,leones,pardos,tauros in arena decertabãt. Ludus uenatorius dicitur ab Vlpiano L. Aut damnum. §. quicunque.Tit.de pœnis.lib.48.D. Acutius.) excogitatum ac reſponſum à Vatinio. Sed unum.) cùm alius poſt alium in beſtias decertaret:ut non plures gladiatores populo dari,ſed unicus uideretur: cauillatorem etiam Vatinium facit. Tribunos pleb.appellare.)ſibi ut adſint.in ſuam itaque defenſionem cæteros collegas ſuos,Vatinius reus ambitus appellabat.epiſt.illa long.ad Lent.lib.1.Epiſt.famil.

Conſularem.) à me in Conſulatu latam . Conſulares, Conſulatu functos homines dicimus. De lege Ambitus lata à Cicerone ſcribit Aſcon.& Cicero ipſe Orat.pro Mur. Aciliam.) de pecuniis repetũdis,Cic.2.act in Verr.& Aſcon.eam tulit M.Acilius Glabrio Coſ. an.urb.cond. 687. Didiam.) à T. Didio Vinio de collegæ ſui Q.Cæcilij Metelli ſentẽtia latam. an.urb.cond. 656. Cic.epiſt. Subitò cùm mihi dixiſſet Cæcilius.lib.2.Epiſt.ad Att.& Orat. pro dom.Huius Didiæ,Cæciliæque legis hæc erat ſentẽtia,ne populo neceſſe eſſet,in coniũctis rebus compluribus,aut id,quod nollet,accipere,aut id quod uellet repudiare. Cæſar autẽ,item & Vatinius Cæſaris conſiliorum miniſter,in ſuis legibus ad popularia quædam,cõſulto adiecerant pernicioſa capita,ut populo legis accipiendæ,quaſi neceſſitas imponeretur:hæc eſt erudita Manutij interpretatio. Iuniam, Liciniam.) quia hæ leges apud Ciceronem ſimul ponuntur, utraque

idem omnino cautum crediderim. Hac lege cauebatur, inquit Manutius, ut non modò ei, qui de aliqua curatione ac poteſtate tuliſſet, ſed ne collegis quidem, cognatis, affinibus ea poteſtas curatióne mandaretur. Huc reſpexiſſe uidetur Ludouicus 12. Francorum Rex, conſtitut. 87. qua illud egregie cautum eſt, ne Iudici liceat, liberos, nepotes, aut conſanguineos ſuos rei litigioſæ ſequeſtros deſignare. Cæterum contra hanc legem Cæſar & Vatinius fecerunt. Suet. in Cæſ.

Eius.) Cæſaris. Sua lege munitum.) Lege Vatinia Cæſari Galliæ, & Illyricum in quinquennium cum decem legionibus decreta fuerunt. Suet. & Plutarch. In Cæſ. Cæſaris legem.) acerrimam, de pecuniis repetundis. Interrogat. Vat. Quæ cùm ita ſint, quæro ex te, &c. Huius legis Iuliæ uis ac auctoritas refertur à Martiano Iurecōſ. L. 1. Tit. de legib. Iul. repetund. lib. 48. D. quem ego locū huc trāsferrem, niſi ad te ſcriberem.. Socero.). Piſone Cæſoniano Coſ. cuius filia Calphurnia Cæſari nupſerat. Plutarchus in Cæſ. Aſſecla.) aſſectatore, omniúmque cōſiliorum miniſtro & ſocio. Saluſtiū omnium menſarum aſſeclam dicit Cicero inuect. in Saluſt.. Seueri.) In P. Sextiū reum. Execant.) abſcindunt, è medio tollūt perditiſſimos quoſque ciues. Cic. Orat. in Vat. ut medici membrum ſæpe putrefactum incidunt, atque in totum eradicant, &c. & Philipp. 8.

Strumam.) acerbiſſimè hoc in Vatinium dixit, qui inflato collo eſſet, Interrogat. Vat. Repente enim te tanquam ſerpens è latibulis, &c. & epiſt. paulò ante citata, Subitò cùm mihi dixiſſet: In Vatinio deformitas cum ingenij turpitudine certabat. Patercul. lib. 2.

Sed ut extremum habeat aliquid oratio mea, & ut ego antè dicendi finem faciam, quàm uos me tam attentè audiendi, concludam illud de optimatibus, eorúmque principibus, ac Reip. *defenſoribus: uóſque adoleſcentes, & qui nobiles eſtis, ad maiorum ueſtrorum imitationem excitabo: & qui ingenio & uirtute nobilitatem poteſtis conſequi, ad eam rationem, in qua multi homines noui, & honore, & gloria floruerunt, cohortabor.* H*æc eſt una uia, mihi credite, & laudis, & honoris, & dignitatis, à bonis*

uiris & ſapientibus, bene à natura conſtitutis, laudari & diligi: noſſe deſcriptionem ciuitatis à maioribus noſtris ſapientiſsimè conſtitutam: qui cum regiam poteſtatem non tuliſſent, ita magiſtratus annuos creauerunt, ut conſilium Senatus Reip. *præponerent ſempiternum: deligerētur autem in id cōſilium ab uniuerſo populo, aditúſque in illum ſummum ordinem omnium ciuium induſtriæ ac uirtuti pateret.* Senatum Reip. *cuſtodem, præſidē, propugnatorem collocauerunt.* Huius *ordinis auctoritate uti magiſtratus, & quaſi miniſtros grauiſsimi conſilij eſſe uoluerunt:* Senatum *autem ipſum proximorum ordinum ſplendore cōfirmari: plebis libertatem, & commoda tueri atque augere uoluerunt.* Hæc *qui pro uirili parte defendunt, optimates ſunt, cuiuſcūque ſint ordinis. Qui autem præcipue ſuis ceruicibus tanta munia, atque* Remp. *ſuſtinent, ij ſemper habiti ſunt optimatium principes, auctores & conſeruatores ciuitatis.*

Audiendi.) uerendum illud eſt, ne ſi ueſtræ ſatietati non occurram, ueſtros à me audiendo animos alienem. Imitationem.) ut ab eorum uirtute & ſingulari in Remp. ſtudio nō deſciſcatis. uide Platonem lib. 3. de Rep. εἰ ἄρχ τὸν πρῶτον λόγοι διεσώζομεν τοὺς φύλακας ἡμῶν, &c. Ingenio, uirtute.) Ingenium ad naturam, uirtutem ad induſtriam referas. uix is cenſeatur nobilis, qui præter imagines & cognomē nihil habet nobilitatis: uera nobilitas, ingenio & uirtute paratur. Horatio beatus, nobilis eſt:

Neſcias an te generum beati
Phyllidis flauæ decorent parentes.

Rationem.) uiā, ſectam in Rep. Et diſciplinam bene gerendæ ciuitatis, aut Reip. dicit, quam à Græcis πολιτικὴν appellari diximus. Nouos accipe, quorum maiores ſummis honoribus in Rep. nō claruerunt: ſic noui homines fuêre Cicero & Marius, uel quia origine ci-

ues

ues Romani non eſſent. Floruerunt.) quòd nihil ex omnibus rebus humanis præclarius aut præſtantius ſit, quàm de Repub. bene mereri. Ad Plan. lib. 10. Epiſt. fam. Vna uia.) In Rep. multis apertum eſſe curſum ad laudẽ ſcribit. Cic. 14. Philipp. Laudari & diligi.) à bonis & laudatis hominibus non improbis captanda laus. Cic. 2. Offic. ita uerè gloriari ſolebat Dionyſiodorus Tibicen, ut eſt apud Laertiũ in Cratete, quod nemo pulſus ſuos audiſſet, neque in triremi, neque ad fontem quemadmodũ Iſmeniæ, ſentiens ſe nunquã captaſſe plauſus ſordidorũ, ignauorum, ac imperitorũ, ſed ſat habuiſſe probari paucis eruditis. Deſcriptionem ciuitatis.) Politice tenere, hoc eſt, diſciplinam bene gerendæ Reip. quæ tota eſt in rerum diuiſione, cõnubiis, magiſtratibus, legibus, populi officiis, cõtractibus, iudiciis, & pœnis.

Non tuliſſent.) ob ſuperbiam & tyrannidem. Liu. lib. 1. Decad. 1.

Vt conſilium Senatus Reip. præponerent.) ut Senatus in regenda Rep. primas teneret, huic primum Reip. gubernacula deferrentur, penes eum eſſet ſumma auctoritas rerum gerẽdarum. Id conſiliũ.) cooptarentur, aſſumerentur in ordinem Senatorium ex omni populo ij, quorum uirtus ac probitas ſpectata eſſet. Senatũ Reip. cuſtodẽ.) Orat. pro dom. dicitur, ſummũ populi Rom. cõſilium. Orat. de Aruſp. reſp. princeps ſalutis, mentisq́; publicæ. Auctoritate uti.) in iis exequendis quæ Senatus iuſſiſſet, mandata igitur non propria auctoritate utebantur. Et certè inferioribus magiſtratibus, ut Quæſtoribus, Aedilibus, Prætoribus, Tribunis pleb. nõ licebat curiam ingredi: ſed poſitis ſubſelliis ante ualuas, decreta Senatorũ attẽtiſſima cura examinabant. Val. Maxim. lib. 2. cap. 1. Magiſtratus.) Magiſtratus propriè urbani ſunt, inde dicti, quod quidam ueluti populi magiſtri ſunt. Qui in prouincias mittuntur Procõſ. Propræt. præſides, nõ magiſtratus, ſed poteſtates appellantur nomine generis. Proximorum ordinum.) Prætores, Tribunos pleb. In diſtributione magiſtratuum, gradus quidam ideo conſtituti ſunt, quòd eorum alij aliis digniores uideantur, & ad ſummũ quis promoueri nõ debeat, niſi qui hiſce inferioribus magiſtratibus, ueluti rudimentis quibuſdam ſe ad maiora, grauioráque obeunda munera præpararit, idoneumque fecerit. Suſtinent.) omnes Reip. partes tuentur.

Huic hominum generi fateor, ut ante dixi, multos ad-

uerſarios, inimicos, inuidos eſſe: multa proponi pericula, multas inferri iniurias, magnos eſſe experiundos, & ſubeundos labores: ſed mihi omnis oratio eſt cum uirtute, non cum deſidia: cum dignitate, nõ cum uoluptate: cum iis qui ſe patriæ, qui ſuis ciuibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui ſomno, & conuiuiis, & delectationi natos arbitrantur. Nã *ſi qui uoluptatibus ducuntur, & ſe uitiorum illecebris, & cupiditatum lenociniis dediderũt, miſſos faciant honores, nec attingant* Rempublicãm, *patiantur uirorum fortium labore ſe otio perfrui.* Qui *autem bonam famam bonorũ, quæ ſola uere gloria nominari poteſt, expetunt, aliis otium quærere debẽt & uoluptates, non ſibi: ſudandũ eſt his pro communibus commodis: adeũdæ inimicitiæ, ſubeundæ ſæpe pro* Rep. *tempeſtates: cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus, dimicandum.* Hæc *audiuimus de clariſſimorum uirorum cõſiliis & factis, hæc accepimus, hæc legimus: neque eos in laude poſitos uidemus, qui incitarunt aliquando populi animos ad ſeditionem: aut qui largitione cæcarunt mentes imperitorum: aut qui fortes & claros uiros, & bene de* Rep. *meritos in inuidiã aliquam uocauerũt.* Leues *hos ſemper noſtri homines, & audaces, & malos, & pernicioſos ciues putauerunt.* At *uerò, qui horum impetus & conatus repreſſerunt: qui auctoritate, qui fide, qui conſtantia, qui magnitudine animi, conſiliis audacium reſtiterunt: ij graues, ij principes, ij duces, ij auctores huius ordinis & dignitatis, atque imperij ſemper habiti ſunt.*

Huic hominum generi.) bonis ciuibus, ſeu optimatibus. Aduerſarios, inuidos.) quippe omnis potentia inuidioſa ſit. Hinc tritum

illud

illud apud Græcos prouerbium, λάθε βιώσας. certè Demoſthenes ad iuuenes quos ſibi familiares habebat, dicere ſolebat, Sibi gnaro iã quantum inuidiæ, metus, calumniæ, ac diſcriminis ſit expectandum ad Remp. accedenti, credi oportere: quòd ſi ex duobus alterum eſſet eligendum, citius in exilium iturum, quàm ad ſuggeſtũ aut tribunal.

Cum uirtute.) cùm fortibus uiris ac Reip. ſtudioſis, nõ cum ignauis & meticuloſis, quos nulla tangit Reip. cura ob impendentia pericula. uide Ciceronẽ lib. 1. Offic. Omnino fortis animus & magnus, duabus rebus maximè cernitur, &c. & 2. Offic. cõtemnuntur ij, qui nec ſibi, nec alteri proſunt, ut dicitur, in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt. Natos arbitrantur.) at natura ſic generata uis hominis, ut ad omnem uirtutem percipiendam facta uideatur, lib. 5. de finib. Ita & hodie complurium adoleſcentum leues animos prophanat Epicureiſmus, ut uoluptatũ ac ſcortorum, haud literarum illecebris ſe eſſe natos arbitrentur. Sed neſcio quomodo nimis uerum eſt quod dicitur,

Magna gemunt multi ſtudiorum uulnera, pauci
Dignantur medicas applicuiſſe manus.

Nam ſi.) Elegans collatio utriuſque generis hominum, uoluptariorum ſcilicet, abhorrentium à procuratione Reip. & eiuſdem ſtudioſorum. Lenociniis.) inuitamentis, blãditiis. lib. 1. de legib. Sũt enim uoluptates blandiſſimæ dominæ. Cicer. lib. 2. Offic. Miſſos honores.) nihili faciant honores, quos in Repub. gerenda magnos conſequimur. Bonam famam.) quam in ſumma etiam omnium rerum ubertate & copia deſiderat Cn. Plan. imperat. apud Ciceronem lib. 10. Epiſt. fam. epiſt. Gratiſſimæ mihi tuæ literæ fuerunt.

Sola uere gloria.) 3. quæſt. Tuſcul. & Iſocrates ad Demonicum.

Inimicitiæ, tempeſtates.) quæuis pericula. In tot periculis Deus adeſt rite uocatis, non his qui per ambitionem capeſſunt Remp. non uocati. Improbis.) ſicuti de Pompeio ſcribit Cic. ad finem. 2. Orat. in Rull. Vrbi Capuam ad certamen dignitatis opponere uis, &c. In laude poſitos.) Laudari. Cic. de Clar. Orat. Latinè loqui eſt in magna laude ponendum. & Orat. pro Mur. quam pari atque in eadem laude pono. Inuidiam.) obtrectando, criminãdo. Ac iuſta quidem eſt inuidia, inquit Hippias apud Platonem, ſi quis improbis in dignitate

conſtitutis inuideat,iniuſta uerò,ſi bonis. Ordinis.) Senatorij. Dignitatem interpretatur Cic.lib.1. de Inuent. alicuius honeſtam auctoritatem,quæ & cultu,& honore,& uerecundia digna eſt.

Ac ne quis ex noſtro,aut aliquorum præterea caſu hãc uitæ uiam pertimeſcat: unus in hac ciuitate,quem quidem ego poßim dicere, præclare de R. P. *meritus* L. Opimius, *indigniſsimè concidit:cuius monimẽtum celeberrimum in foro,ſepulchrum deſertiſsimum in littore* Dyrrachino *relictum eſt. Atque hunc tamen flagrantẽ inuidia propter interitum* C. Gracchi, *ſemper ipſe* P.R. *periculo liberauit.* Alia *quædam ciuem egregium iniqui iudicij procella peruertit,cæteri uerò aut repentina ui perculſi, ac tempeſtate populari,per populum tamen ipſum recreati ſunt atq; reuocati,aut omnino inuulnerati,inuiolatique uixerũt.* At *uerò ij, qui* Senatus *conſilium,qui auctoritatem bonorũ, qui inſtituta maiorum neglexerunt,& imperitæ aut concitatæ multitudini iucundi eſſe uoluerũt:omnes ferè* Reip. *pœnas, aut præſenti morte, aut turpi exilio dependerunt.* Q*uòd ſi apud* Athenienſes, *homines* Græcos, *lõge à noſtrorum hominũ grauitate diſiunctos,non deerunt qui* Remp. *contra populi temeritatem defenderẽt, cùm omnes qui ita fecerunt,è ciuitate eiicerentur:ſi* Themiſtoclem *illum conſeruatorem patriæ non deterruit à* Rep. *defendenda, nec* Milciadis *calamitas,qui illam ciuitatem paulò ante ſeruarat:nec* Ariſtidis *fuga,qui unus omnium iuſtiſsimus fuiſſe traditur:ſi poſtea ſummi eiuſdẽ ciuitatis uiri,quos nominatim appellari nõ eſt neceſſe, propoſitis tot exemplis iracundiæ, leuitatiſque popularis,tamen ſuã* R.P. *illã defenderunt:quid nos tãdem facere debemus? primum in ea ciuitate*

uitate nati, unde orta mihi grauitas, & magnitudo animi uidetur: tum in tanta gloria inſiſtentes, ut omnia humana leuiora uideri debeant: deinde ad eam Remp. *tuendam aggreßi, quæ tanta dignitate eſt, ut eam defendentem occidere non aliud ſit, quàm oppugnantem rerum potiri.*

Ac ne quis) periculorum Reip. ſtudioſis impendentiũ obiectioni occurrit, eáque extenuat, aſſumpto L. Opimij exẽplo: is interfecto C. Graccho ciue ſeditioſo, à Q. Decio accuſatus fuit apud populũ, quòd indemnatos ciues, aut necaſſet, aut in carcerem coniecißet. Flor. lib. 61. Cic. in Bruto. ciuémque præſtantißimum L. Opimium Gracchi interfectorem, &c. Noſtro caſu.) mea, & P. Sextij calamitate, miſeráque conditione. Hanc uitæ uiam.) Optimatium ſectam.

L. Opimius.) Optimus Conſul. Orat. poſt red. ad Quirit. Monimentum.) Templum Concordiæ in foro Rom. extructum Gracchana ſeditione, ab Opimio dedicatum. Dyrrachino.) Dyrrachiũ Italis hodie eſt Durazo. Põponius Mel. lib. 2. De ſitu orb. Cic. epiſt. 1. lib. 14. Epiſt. fam. Liberauit.) cùm à propinquis & fautoribus Gracchanæ ſeditionis oppugnaretur. Cic. Orat. in L. Piſ. L. Opimius eiectus eſt patria, is qui Prætor & Conſul maximis Remp. periculis liberauit. Alia quædam.) Cùm enim miſſus legatus fuiſſet, ut inter Iugurtham & Adherbalem regnũ diuideret, calumnioſè accuſatus apud populum, quòd pecuniam huius rei ergô accepiſſet, in exilium actus eſt. Procella.) uis, tempeſtas. Cæteri.) ut P. Popilius, Q. Metellus Numidicus. Orat. poſt red. ad Quirit. Inuulnerati.) integri, nulla aſperſi infamia. Cæteri.) ut Saturninus & Gracchi duo. Iucũdi.) populares, δημοτικοὶ, lib. 1. Offic. Omnino qui Reip. præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant, &c. & anteà quoque dixit, Qui autem ea quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini iucunda eſſe uolebãt, populares habebãtur. Quòd ſi.) Profert externa exẽpla, & à minori argumentatur. Athenienſes.) apud quos nata & alta eſt ratio, ac moderatio uitæ. epiſt. 1. lib. 6. Epiſt. famil.

Grauitate diſiunctos.) Cicero ſuorũ ut augeat induſtriam ac ſapientiã, Græcorũ auctoritati detrahit. 1. quæſt. Tuſcul. & Orat. pro

L.Flacc. Ob id eum, ut ridiculũ notat Ianus Laſcaris in quodam ad Domitium Epigrammate. - Cur non de Cicerone querar?

Qui gentem toties,mores,linguámque laceſsit

Graiugenûm,uerbis nec modus ullus ineſt. &c.

Themiſtoclem.) qui Xerxem Perſarum Regem Græciæ minitãtem prælio naualI uicit: ad quem poſtea fugit falsò à Lacedæmoniis proditionis cum Pauſania accuſatus. Diod. Sicul. lib. Hiſtor. 11. Plutarch. in Themiſtoc. Val. Max. lib. 5 cap. 3. & 6. Milciadis.) qui trecenta millia Perſarum apud Marathonem Atticæ campum celebrem fudit. Val. Max. lib. 5. cap. 3. Strab. lib. 9. Calamitas.) ut qui poſtea in carcere & uinculis uitam finierit. Val. Max. Ariſtidis.) qui Catoni, ut Themiſtocles Cæſari cõparatur à Plutarch. Fuga.) exiliũ. Cic. 5. quæſt. Tuſcul. Quid Ariſtides, nónne ob eã cauſam expulſus eſt patria, quòd præter modum iuſtus eſſet? Iuſtiſsimus.) ut cognomento δίκαιος, & Græca iuſtitia diceretur. Val. Max. lib. 5. cap. 3. Leuitatisq; popularis.) quæ omnem uirtutis exuperantiam odit, ut magnis is moleſtiis uacet, qui nihil omnino cũ populo contrahit. Cic. 5. quæſt. Tuſcul. & Orat. pro Cn. Plan. In uulgo nõ eſt cõſilium, non ratio, non diſcrimen. Inſiſtentes.) tanquam in faſtigio. Defendentem.) eum qui Remp. tuetur ac ſuſtinet. Oppugnantem rerum potiri.) oppreſſa Repub. quiduis in ea pro animi libidine moliri, agere, abuti ſumma cum rerum poteſtate ac licentia.

— *Homines Græci, quos antea nominaui, iniquè à ſuis ciuibus damnati atq; expulſi: tamen quia bene ſunt de ſuis commeriti, tanta hodie gloria ſunt, non in Græcia ſolùm, ſed etiam apud nos, atque in cæteris terris, ut eos à quibus illi oppreſsi ſunt, nemo nominet, horum calamitatẽ dominationi illorũ omnes anteponant. Quis Carthaginenſium pluris fuit Annibale conſilio, uirtute, rebus geſtis? qui unus cum tot imperatoribus noſtris per tot annos de imperio & de gloria decertauit? Hunc ſui ciues è ciuitate eiecerũt: nos etiam hoſtem literis noſtris, & memoria uidemus eſſe celebra-*

lebra-

lebratum. Quare imitemur noſtros Brutos, Camillos, Halas, *Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Aemilios, innumerabiles alios, qui hanc* Remp. *ſtabiliuerunt: quos equidem in deorum immortaliũ cœtu ac numero repono. Amemus patriam, pareamus* Senatui, *cõſulamus bonis: præſentes fructus negligamus, poſteritati, & gloriæ ſeruiamus: id eſſe optimum putemus, quod erit rectiſsimum. Speremus quod uolumus: ſed quod acciderit, feramus. Cogitemus denique corpus uirorum fortium, magnorúmque hominum eſſe mortale, animi uerò motus, & uirtutis gloriam ſempiternam: neque hanc opinionem, ſi in illo ſanctiſsimo* Hercule *conſecratam uidemus, cuius corpore ambuſto, uitam eius & uirtutem immortalitas excepiſſe dicitur, minus exiſtimemus eos qui hãc tantã* Remp. *ſuis conſiliis aut laboribus, aut auxerint, aut defenderint, aut ſeruarint, eſſe immortalem gloriam conſecuturos.*

Nemo nominet.) eorum nomina nullis literarũ monumentis ſint celebrata. Carthaginenſium.) qui cũ Romanis de imperio & gloria decertabant. Liu. lib. 8. Decad. 3. Clauſæ erãt portæ, omniáque inſtructa, &c. Annibale.) qui tot imperatores, tot exercitus noſtros fudit ac trucidauit. Val. Maxim. lib. 5. cap. 3. De quo ſic prædixerat Dido apud Virgil. 4. Aeneidos:

Exoriare aliquis noſtris ex oſsibus ultor
Qui face Dardanios ferróque ſecare colonos.

Eiecerunt.) poſt ſecundum bellum Punicum: exulauit autẽ apud regem Pruſiam. Val. Max. lib. 3. cap. 7. atque hæc Carthaginenſium ingratitudo notatur à Liu. lib. 8. Decad. 4. Celebratum.) Liu. lib. 1. Decad. 3. Annibalis, inquit, & apud Rom. celeberrimũ nomen fuit. Huc, ſi placet, referas, quod ſcribit Cicero in Læl. Nihil amabilius uirtute, quippe cùm propter uirtutem & probitatem, eos etiam quos nunquã uidimus, quodãmodo diligamus: cuius ea eſt uis, ut eã, quod

maius eſt)in hoſte etiam diligamus.Idem omninò in Piſoniana.

Brutos.) Iunium Brutum,qui Reges expulit.Virg.6.Aeneid.

Vis & Tarquinios Reges,animúmque ſuperbum
Vltoris Bruti,&c. *Camillos.)Furiũ Camillũ.Virg.eod.lib.*
- Et referentem ſigna Camillum. *quo loco uide Ser.grãmat.& Val.lib.5.cap.3.* *Halas.) Halam Seruilium, qui cùm magiſtrum equitum Spurium Melium regnum affectãtem occidiſſet,cuſtoditæ libertatis ciuium,exilio ſuo pœnas pependit. Valer. Max.loco proximè citato: & Liu.lib.4.Decad.1. De Deciis iam diximus.* *Curios,) M.Curium exactiſsimã normã Romanæ frugalitatis,& fortitudinis perſpectiſsimũ ſpecimẽ. Val.Max.lib.4. cap.3.*

Fabricios.) C.Fabricium paupertate glorioſum, & clariſsimum bello ducem.Virg.eod.lib.Val.Max.lib.1.cap.8.lib.4.cap.3. *Maximos.) Q.Fabium Maximũ cognomento cunctatorem, quòd Annibalẽ mora fregerit.Virg.6.Aeneid.* *- Tu maximus ille es*
Vnus qui nobis cunctando reſtituis rem.

Annibal Romanorum dicitur à Liu.lib.7.Decad.3. Dum hæc Tarenti aguntur, &c. *Scipiones.) Maiorem & minorem,duo belli fulmina.Virg.eod.lib.* *Lentulos.) P.Lentulum. Valer.Maxim. lib.5.cap.3.* *Aemilios.) Paulum Aemilium, de quo Cicer. in ſomnio Scipionis. Val.Max.lib.5.cap.3.lib.2.cap.5.* *Deorũ immortalium cœtu repono.) Cicero 2.de Nat.deor.Suſcepit autem uita hominũ,& conſuetudo cõmunis,ut beneficiis excellentes uiros in cœlũ fama ac uoluntate tollerent:hinc Hercules, Caſtor & Pollux, hinc Aeſculapius,hinc & Liber,&c.Verba legis 12.Tab.hæc ſunt apud Cic.2.de legib. Diuos & ollos qui cæleſtes ſemper habiti,colunto: & ollos quos endo cælo merita uocauerint.* *Præſentes fructus.) præſentia nobiſq; occurrẽtia commoda.* *Feramus.) Cic. 3.Tuſcul. Illa eſt præſtans ſapientia,nihil admirari cũ acciderit, nihil antequã euenerit,non euenire poſſe,arbitrari.* *Motus animi.) Motũ animi perpetuum eſſe docet Plato in Phædone & Phædro. Cic.1.Tuſcul.*

Sempiternã.) Vlt.Paradox.& 4.Philipp.Neque,coniungit & negat. *Sanctiſsimo.) in deorum numerum relato.Herculẽ Rom. religioſiſsimè coluerũt ead.quæſt.Tuſcul.Alciat.lib.παρεργ. Iuris ciuil.4.cap.3.Herculi rotunda fuit ædes in foro Boario. Liu.lib.10.*

Decad.

Decad.1.Eo anno prodigia multa fuerunt, &c. Ambuſto.) cremato in Oeta monte.Liu.lib.6.Decad.4.M.Acilius uẽdita,aut cõceſſa militi,&c.Alciat.lib.4.παρεργ.Iuris ciuil.cap.4. Immortalitas excepiſſe.)Deus eſt habitus.Cic.lib.2.de legib.Lactant.lib.1. Inſtitut.diuin.cap.15. Immortalẽ gloriã conſecuturos.) Cic.Orat. pro Cn.Plan.Qui pro Rep.uitam reddiderunt, nuſquam mehercule eos mortem potius,quàm immortalitatem aſſecutos putaui.

*Sed me repentè,*Iudices,*de fortißimorũ & clarißimorũ ciuium dignitate & gloria dicentẽ,& plura etiam dicere parantẽ,horum aſpectus in ipſo curſu orationis repreßit.* Video P.*Sextium meæ ſalutis,ueſtræ auctoritatis,publicæ cauſæ defenſorẽ,propugnatorem,auctorẽ,reum: uideo hũc prætextatũ eius filiũ oculis lachrymantibus me intuentẽ: uideo* Milonẽ *uindicẽ ueſtræ libertatis,cuſtodẽ ſalutis meæ, ſubſidium afflictæ* Reip.*extinctorem domeſtici latrocinij, repreſſorẽ cædis quotidianæ,defenſorẽ templorum atq; tectorũ,præſidiũ* Curiæ,*ſordidatũ & reũ:uideo* P.*Lentulũ, cuius ego patrẽ* Deũ *ac parentẽ ſtatuo fortunæ ac nominis mei,& fratris,rerúmq; noſtrarum,in hoc miſero ſqualore & ſordibus:cui ſuperior annus idem & uirilẽ patris, & prætextã populi iudicio togã dederit,hunc hoc anno in hac toga,rogationis iniuſtißimæ ſubitã acerbitatem pro patre fortißimo & clarißimo ciue deprecantem:atq; hic tot & taliũ ciuiũ ſqualor,hic luctus,hæ ſordes ſuſceptæ ſunt propter unũ me:quia me defenderunt:quia meum caſum luctúmq; doluerũt:quia me lugẽti patriæ,flagitãti* Senatui, *poſcẽti* Italiæ,*uobis omnibus orãtibus reddiderunt.* Quod *tantũ eſt in me ſcelus?quid tãtopere deliqui illo,illo die,cũ ad uos indicia,literas, cõfeßiones cõmunis exitij detuli?cũ parui uobis?*At *ſi ſceleſtũ eſt amare patriã,pertuli pœnarũ*

ſatis: euerſa domus eſt, fortunæ uexatæ, diſsipati liberi, raptata cõiunx, frater optimus, incredibili pietate, amore inaudito, maximo in ſqualore uolutatus eſt ad pedes inimiciſsimorũ. Ego pulſus aris, focis, deis penatibus, diſtractus à meis, carui patria, quã (uti leuiſsimè dicã) certè texerã: pertuli crudelitatẽ inimicorũ, ſcelus infideliũ, fraudẽ inuidorũ. Si hoc nõ eſt ſatis, quod hæc omnia deleta uidẽtur reditu meo: multò mihi, multò, inquã, Iudices, præſtat in eãdem illam recidere fortunã, ꝗ̃ tantã importare meis defenſoribus & cõſeruatoribus calamitatẽ. An ego in hac urbe eſſe poſſum, his pulſis, qui me huius urbis cõpotem fecerũt? Non ero, non potero eſse, Iudices, neq; hic unquã puer, qui his lachrymis qua ſit pietate declarat, amiſſo patre ſuo propter me, meipſum incolumẽ uidebit: nec quotieſcunque me uiderit, ingemiſcet, ac peſtẽ ſuã, & patris ſui ſeſe dicet uidere: ego uerò uos in omni fortuna, quæcũque erit oblata, cõplectar: nec me ab iis, quos meo nomine ſordidatos uidetis, unquã ulla fortuna diuellet: neq; hæ nationes, quibus me Senatus cõmẽdauit, quibus de me gratias egit, hũc exulem propter me ſine me uidebunt. Sed hæc dij immortales, qui me ſuis templis aduenientem receperunt ſtipatũ ab his uiris, & Cn. Lentulus Conſul, atque ipſa Reſp, qua nihil eſt ſanctius, ueſtræ poteſtati, Iudices, commiſerunt. Vos hoc iudicio omnium bonorum mentes cõfirmare, improborum reprimere poteſtis: uos his ciuibus uti optimis, uos me reficere, & renouare Rempub. poteſtis. Quare uos obteſtor, atque obſecro, ut ſi me ſaluum eſſe uoluiſtis, eos conſeruetis, per quos me recuperauiſtis.

Sed me.) Subiungit perorationem, in qua & merita perſonarum

proferũtur,

proferuntur, & magni affectus cõmouentur. Horum.) qui adſunt Sextio. In eos intuẽs ita afficior præ mœrore, ut dicendi ſtudiũ infringatur. Publicæ cauſæ.) in me reſtituendo ac reuocando. Orat. ad Quirit. Prætextatum.) adhuc puerũ. Veſtis fuit talaris ab Hetruſcis accepta. Liu. lib. 1. Decad. 1. ea ingenui ingenuæque utebantur uſq; ad annũ 17. Aſcon. In Prætura Vrbana. fuit & prætexta Conſulatus inſigne, ut eſt apud Ciceronẽ in Piſoniana. Tu etiã mentionẽ facies Conſulatus tui, &c. De filio Sextij diximus initio orationis.

Sordidatum.) Sextij cauſa, cui in iudicio aderat. P. Lentulum.) adoleſcentem. Deum & patrem.) Orat. poſt red. ad Quirit. P. Lẽtulus Cõſul, parens, Deus ſalutis noſtræ, uitæ, fortunæ, memoriæ, &c.

Fratris.) Q. fratris mea cauſa calamitoſi. epiſt. Mi frater. lib. 1. Epiſt. ad Q. frat. Cui.) P. Lẽtulo filio. Itaq; hoc anno, & ob Sextium reum poſtulatum de ui, & patrem ſuperiore anno amandatum. P. Lentulus filius in luctu erat & ſqualore. Iniuſtiſſimæ rogationis.) Hæc hiſtoria tota mihi eſt ignota, niſi hunc Lentuli patris caſum referas ad id quod anteà citauimus ex Val. Max. lib. 5. cap. 3. Et quanuis aliquid ex ingenio liceat comminiſci, placet tamen fateri potius neſcire quod neſciam, quàm adferre quod nõ probem. Reddiderunt.) ſed & Orat. poſt red. in Sen. ſcribit, ſe equis inſignibus, & curru aurato reportatũ fuiſſe. Iudicia.) coniurationis Catilinariæ. Cic. 3. Catil. In eo omnes dies noctéſq; cõſumpſi, ut quid agerẽt, quid molirentur, ſentirem ac uiderem.) Literas miſſas à Catilina ad Fæſulanos, Apuleios, Gallos, ut ſibi in coniuratione, tantáq; cõmunis incendij, & uaſtationis cupiditate adeſſent. Salu. in Catil. Confeſſiones.) uel coniuratorum ipſorum carcere detentorum, uel cuiuſdã L. Tarquinij ad Catilinam proficiſcentis. Saluſt. in Catil. Communis exitij.) qui à coniuratorum nefariis conſiliis urbi impẽdebat. Cic. 4. Catil. Video enim mihi hanc urbem uidere ſubitò uno incendio cõcidẽtem, &c. Parui.) in coniuratione opprimenda. Orat. pro dom. Ego uerò Reip. ſemper intereſſe putaui, me illius pulcherrimi facti, &c. Sceleſtum.) at maximè glorioſum, beatique ſunt ij quibus ea res honori fuit. Orat. pro Mil. Texeram.) imò uerò omni periculo liberaram, meo corpore omnium improborũ collectam uim excipiẽs. Orat. pro dom. Inimicorum.) duorum Conſulum Gabinij & Piſo-

nis, & Tribuni pleb. Clodij. Infidelium.) Arrij, qui me ſceleratiſſimè inſidioſiſſiméque tractauit, epiſt. 3. lib. 1. Epiſt. ad Q. frat.

Inuidorũ.) Pompeij, Cæſaris, Craſſi, Hortenſij, à quibus me amari putabam, epiſt. 1. lib. 14. Epiſt. fam. & epiſt. Brunduſium ueni ad Cal. Maias. lib. 3. Epiſt. ad Att. Recidere fortunam.) rurſus in exilium abire, patria carere. Importare.) inuehere. propriè cõmeatus importari dicuntur, cùm in aliquẽ locum deferuntur. hîc ponitur pro eo quod dicimus auctorẽ eſſe & cauſam. Compotẽ.) participem, qui me ab exilio reuocarũt. Non ero, non potero.) ergo exilij calamitatẽ rurſum perferam, ſi cõdemnetur Sextius meæ ſalutis auctor.

Oblata.) Etiãſi deintegro ſubeunda ſit exilij infamia, redeundum cum Sextio in exilium, relicta hac communi patria quam defendi.

Hæc.) ut rurſus in exiliũ abeam condemnato Sextio, aut eo liberato in urbe maneam. Ab iis uiris.) Sextio, Milone, meis defenſoribus & conſeruatoribus. Sanctius.) nihil quod minus uiolari debeat, ut quæ ſit communis omnium noſtrum parens. 1. Catil. Cn. Lentulus.) Libentius ita lego, quàm ut alij uolunt, P. Lent. Nam eo anno quo Sextius à Cicerone defenſus fuit, Coſſ. fuêre Cn. Lentulus Marcellinus, & L. Martius Philippus. Renouare.) inſtaurare, defenſis bonis & periculo liberatis, improbis, ut Clodianis, oppreſſis. Veriſſimè ſcribit Cicero Orat. pro Cn. Plan. Sẽper, inquit, graues & ſapientes Iudices in rebus iudicãdis, quid utilitas ciuitatis, quid communis ſalus, quid Reip. tempora poſcerent, cogitarunt. Huc, ſi placet, aduertant magiſtratus.

FINIS.